Vessem
De M.Tullii Ciceronis de Oratore Libris.

DE M. TULLII CICERONIS DE ORATORE LIBRIS.

De M. Tullii Ciceronis de Oratore Libris.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. C. VREEDE,

LITT. IND. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. THEOR. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE
DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI
SUBMITTET

JOSEPH VAN VESSEM, S. J.,

AMSTELAEDAMENSIS

DIE XVII MENSIS DECEMBRIS, A. MDCCCXCVI, HORA III.

GALOPIAE.

APUD M. ALBERTS & FILIOS.

MDCCCXCVI.

Ad Parentum Memoriam.

CONSPECTUS CAPITUM.

PROOEMIUM.

Cum ex lege scripto libello industria mea et eruditio, qualiscumque est, artis antistitibus approbandae essent, opportunum visum est in commentandis Ciceronis libris de Oratore tentare, quid possem. Alliciebat enim praestantia operis, quod docente magistro prudentissimo ornatissimoque adamavi et magni facere didici; suadebat illud quoque, quod videbam proximis annis multos viros doctos Ciceronis scriptis rhetoricis emendandis strenue operam dedisse. »Die ungemein rege Thätigkeit — ita scribit cl. Ströbel [1]) – die während der letzten 13 Jahre auf dem Gebiete der rhetorischen Schriften Ciceros entfaltet wurde, bezog sich ganz besonders auf die Textkritik. Angehörige fast aller Nationen Europas wetteiferten

1) in Bursian's Jahresbericht B. 80 abth. 2 pag. 166.

miteinander, um der ursprünglichen Gestalt der genannten Werke möglichst nahe zu kommen."

Quemadmodum enim, ut Quintiliano et Cobeto placet, »rectam interpretationem praecedat oportet emendata lectio," ita postquam praeclara illa opera, quantum Stanglii, Friedrichsii aliorumque doctissimorum hominum ingeniis ac laboribus fieri potuit, ad pristinam integritatem sunt restituta, jam nihil magis optandum videtur, quam ut ad accuratam eorumdem explicationem rectamque aestimationem, litterarum amici sua studia consocient. Ut autem ad singulorum verborum explanationem sententiarumque intelligentiam post Sorofii, Pideritii, Wilkinsii, hujus operis editiones vix quicquam desiderari videtur, ita facile mihi persuasi, de scriptoris consilio, de universo operis instituto, de scribendi genere quaedam etiamnunc utiliter investigari posse.

Tria igitur sunt de quibus disputare in animo est:

Primum est: quid Cicero hisce libris scribendis sibi proposuerit, seu quibus hac scriptione maxime servire voluerit.

Alterum est: quae videatur propria et praecipua doctrina et quasi *Χαρακτὴρ* horum librorum.

Denique praecipuos quosdam fontes sive exemplaria hujus operis ita conferre conabimur, ut et qualis sit haec doctrina manifestius appareat et simul ipsorum librorum virtutes in clara luce ponantur.

I.

QUID SIBI PROPOSUIT CICERO ?

Pervulgata jam est opinio Ciceronem nihil unquam quaesivisse nisi gloriolam suam. Sunt enim hodie multi omnino Cicero-mastiges, qui nescio quo animi motu abrepti praeclarissimo Romanorum oratori vix quicquam veræ laudis relinquere velint. Reipublicae gerendae imperitissimum illum proclamant, in causis agendis aequitatis veritatisque penitus ignarum; quidquid cogitavit, dixit, fecit, ad unam ejus inexplebilem laudis cupiditatem referunt; immo vel ipsam scriptoris gloriam multis modis arrodere et elevare conantur. Velut paucissima sunt in Cicerone, quae Martino Schanzio, ut virum doctum non infimae notae proferam, probentur aut vel minima laude digna videantur: merita omnia in dubium revocantur; vanitatis, ostentationis, ignaviae, inconstantiae perpetua est incusatio. [1]) Equidem non facile adducar ut

---

1) Cfr. Gesch. d. Röm. Lit. pag. 195 ff. in Iw. v. Müller Handb. d. kl. Alterth.w.

magni viri vituperatoribus credam. Quo jure enim magna ejus in patriam civesque merita negantur? Catilinam istamque conjuratorum sentinam, qua capitalior pestis vix unquam urbi impendit, e republica expulit, haud inscius quod ceteris saluti fuisset, id sibi uni perniciei fore. Agrarios motus cohibuit; plebem et equestrem ordinem lege de XIV inter se exacerbatos compescuit; provinciam suam quam sanctissime administravit. Ter a patribus et plebe ita exceptus deductusque est ut ante eum nemo: cum catilinarios opressisset, cum ex exilio rediret, cum decessisset de provincia. Maxime autem in illo ab exilio reditu, tanto studio et favore universus populus obviam ei contendit, ut vel Plutarchus, minime ille quidem Ciceronis adulator affirmet: »quod Cicero postea dixerit se humeris Italiae Romam reportatum esse, id rei veritatem non attingere." [1])

Jam haec omnia quî potuerunt ei contingere si, quod isti contendunt, omni prorsus rerum civilium cognitione et prudentia, omni fortitudine et pietate caruisset? — Inconstantiae arguitur. At, quis in tanta rerum perturbatione, satis certo providere potuit utrum optimates an populares, Caesarne an Pompejus magis rei Romanae obfuturus esset. Quodsi Caesari potius quam Pompejo sese adjunxisset, non est dubium, quin illo victore etiam magnus in re publica fuerit futurus.

Quod autem Cicero ut causarum patronus eos saepe defendit de quorum culpa dubitare vix posset; quod in orationibus nonnumquam veritatem tegere, falsaque pro veris

---

1) Plut. vita Cic. c. 33... *ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν.*

persuadere conatus est, — id enim alterum est quod acerbissime vituperant, — neque nos sane haec aut negare aut defendere volumus. Oportet tamen meminisse: Ciceronem neque amicorum periculis umquam defuisse, nec umquam etsi reos manifestos aliquando magis quam aequum erat defendit, ad perniciem insontis eloquentia esse abusum. Atque illud quidem plane assentimur cl° Karsten, quod nuper demonstravit in quodam libello [1]: veritatis aequitatisque defectus, quos jure merito in Ciceronis orationibus vituperent, non potius ipsi quam communi illorum temporum opinioni de patronorum officiis tribuendos esse. Satis enim in laudata disputatione ostendit, apud veteres vel optimum quemque oratorem artisque dicendi magistrum in hac sententia fuisse: »nihil pro cliente non licere." Quod sane meliora jam edocti omnes perhorrescimus. Quamquam non ideo omnem antiquorum dicendi artem sperni velim. Placet profecto illa quam profert vir doctissimus sententia Quintiliani [2]: si quando judices omnes essent vere sapientes, multa e Demosthenis Tulliique orationibus delenda, nec animos commovendos nec aures permulcendas; satis futurum esse, id de quo agitur perspicue enarrare, et probationes in utramque partem simplici sermone exponere. At nusquam opinor tale judicium tam perfecte sapientium inter homines reperitur. Igitur cum præstet plures sontes de quorum culpa non constiterit absolutos abire, quam vel unum innocentem condemnari: suo

1) Verslag & Meded. d. K. Ak. v. WW. 1895 p. 214 ss.: »De bedenkelijke moraal van Cicero's pleitredenen en van de klassieke rhetorica in het algemeen."

2) l. c. pag. 233.

jure causarum patroni, et verisimilia defendant, modo ne cognitae veritati adversentur, et gravissimis verbis accusatorum criminationes elevare, ac judicum animos ad commiserationem excitare studeant. Quod autem multi fuerunt semperque erunt, qui dicendi facibus imperitum vulgus ad mala omnia accendant, non idcirco omnino vetamus oratores in bonis magnisque causis hominum aut aversos animos commovere aut languentes excitare. Ac nescio etiam, an paullo severius de Tullio judicet Karsten, nescio an non omnes quos enumerat tamquam reos manifestos, quos Cicero defenderit tales reapse fuerint; quidquid id est, illud verissime statuit: Ciceroni non tantopere exprobrandum esse errorem omnibus paene antiquis communem. Ferendum certe non est propter illud temporis magis quam hominis vitium Ciceronis virtutes et praeclara merita aut turpiter negari aut silentio praeteriri.

At erat Cicero gloriae cupidissimus, aut saltem, si Quintiliani mitioribus verbis uti malis »minime sui contemptor" [1]. Neque illud equidem infitior. Certe postquam ad honoris culmen ascendit, insolentius se jactare solebat. Attamen noli graviter ferre, si dicam quod sentio: Ciceronem propter ipsum illud gloriae studium plerisque aequalibus suis praestitisse, eo magis quod non magnifice de se dictis potius quam bene et praeclare gestis gloriae studuerit. Beati enim esse omnes volumus, sed, quoniam sine gloria beatitudo plena atque perfecta est nulla, nemo prudens veram gloriam contemnere potest. Quid enim est gloria? — In praeclaro proemio disputationis Tusculanae tertiae, inter ceteros quos enumerat

1) Quintil. l. XII. 1.

animi morbos, hunc praesertim Cicero deplorat: quod in summa illa opinionum perversitate vel optimus quisque, quamquam veram illam honestatem expetat, nullam tamen consectetur eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. [1]) Vera enim gloria sic egregie ibidem describitur: »ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute, ea virtuti resonat tamquam imago: quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda." — Non hanc tamen sed adumbrationem ejus plerosque sequi, etiam Cicero expertus: »Illa autem" inquit, »quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit."

Quanto rectius hîc veram illam gloriam a populari fama disjungit, quam in libro de Inventione, ubi utramque confundit, cum scribit »gloria est frequens de aliquo fama cum laude." [2]) Illa enim quae ad beatitudinem pertinet gloria fallacibus vulgi acclamationibus non continetur; sentimus animorum nostrorum desiderium satiari non posse nisi nobis conscii simus veram, non simulatam virtutem in nobis laudari, idque ab iis qui et boni sint et recte judicent. At nunc profecto sanctissimus quisque et sapientissimus, cum cognoverit bonorum finem non hac in terra expetendum esse, facile jam nullam apud homines gloriam quaerit. Homines enim mortales pro suae mentis caligine et semper falli possunt et vix umquam de praestantia virtutis perfecte judicant; atque agnovimus,

---

1) cf. Tusc. l. III, 3.
2) De Inv. l, II. 166.

cum lumine rationis, tum divinis edocti oraculis, illud beatitudinis desiderium a providentissimo rerum conditore cum ipsa natura hominibus insitum inane esse non posse, sed aliquando, si divinis legibus diligenter obtemperaverimus ab ipso Deo esse explendum. Ideo non aliam gloriam nobis expetendam ducamus, quam laudem et amorem, Illius qui nec falli nec fallere potest.

Igitur miserandus est Cicero, quod vixit ea aetate, de qua verissime ipse: »Nos simulatque editi in lucem et suscepti sumus in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, dein magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat." [1]) Minus tamen vituperandus est, quam qui aut pecuniae cupiditate aut voluptatum libidine aut potentiae desiderio ferebantur. Sed quotus quisque Romanorum, quos nunc magnifice extollere solent, non aliqua ex illis cupiditatibus ferebatur, quarum nulla certe in Ciceronem cadebat. Quis autem neget inter varia bona ad quae acquirenda illi homines omni ope nitebantur, laudem et gloriam esse unam omnium nobilissimam. Quamquam, de Cicerone idem etiam dici licet, quod de captantibus auram popularem ipse scribebat: optima petentes, non tam voluntate quam cursus errore falli. [2])

Equidem stare nolo ab iis qui, Cicerone spreto, Caesarem Octaviumque civium sanguine infectos extollere solent. Carus mihi est Cicero, non tantum ob praeclara litterarum arti-

---

1) Tusc. l. c.
2) ibidem.

ficia, quibus vivit vivetque per omnium seculorum memoriam, sed etiam ob prudentiam singularem, ob pietatem erga patriam, cives, amicos; ob lenitatem, humanitatem, clementiam, quibus virtutibus excellebat inter omnes aequales. Quare, donec firmissime demonstratum erit, falsa esse atque conficta, quae de Ciceronis meritis antiqui praedicarunt: equidem assentior Juvenali incorrupto illi vitiorum virtutumque judici:

Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Praesidium attonitis et in omni monte laborat;
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis ac tituli, quantum dein Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio, sed Roma parentem
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit. [1])

Fuerit igitur Cicero laudis cupidissimus: hanc cupidinem virtutibus beneque de patria meritis explere conatus est.

Verum ad propositum redeamus. Quaerentibus igitur nobis, qua de causa composuerit Cicero illos de Oratore libros, apparet, hoc quoque opere illum gloriam quidem quaesivisse, sed serviendo suorum civium commodis. Nam sive tempora investigamus, sive ipsius Ciceronis indolem ac mores consideramus, sive ad domestica adjuncta respicimus; sive etiam propriam rationem horum librorum observamus; undique colligitur, Ciceronem hoc sibi proposuisse, ut hac sua scriptione populo suo consuleret, quem a se servatum haud injuria gloriabatur. Persequamur singula.

---

1) Sat. VIII v. 237 sqq.

Atque primo quidem: ut de eloquentia scriberet, turbida illa tempora non modo otium praebuerunt opportunum, sed etiam quasi stimulis acerrimis concitabant. Quamdiu enim in decursu honorum erat Cicero, »infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio" numquam eum otiosum esse sinebant; fine autem populi honorum impetrato »qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur" — ut verissime conqueritur — »in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt." [1]) Sequebantur turbae et procellae Clodianae, exilium, reditus. Neque vero antequam in integrum est restitutus »fructus otii, inquit, datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas inter nosque recolendas." [2]) Tandem otiosum esse licuit. Intelligebat enim Cicero, cum Pompejus et Crassus, magis vi et armis quam liberis civium suffragiis iterum consules facti essent, sibi jam locum non esse in moderando regimine civitatis, de cujus imperio inter summos viros dimicaretur. Incertus igitur atque anxius, utrum Pompejo adhaereret, an potius Caesaris partibus sese adjungeret, quantum per Pompejum licuit, in litteras se abdidit.

Sed quid tunc egerit senseritque, ipse clare docet in illa ad Lentulum epistola, in qua de turbido rerum statu vehementer conquestus, dignitatem iu sententiis dicendis, libertatem in republica capessenda sublatam esse deplorat: »Me quidem, inquit, illa res consolatur, quod ego is sum, cui vel maxime concedant omnes, ut vel ea defendam quae Pompejus, vel taceam, vel etiam id, quod mihi maxime lubet, ad nostra me studia

1) De Or. l. I, 1.
2) ibid.

referam litterarum, quod profecto faciam, si mihi per ejusdem amicitiam licebit." [1]) Licuit autem per Pompejum. Sane Pisonis calumniae, Caninii Galli causa, ludi denique Pompejani ac Milonis nuptiae eum quamvis invitum aliquoties ad paucos dies Romam evocarunt: reliquum anni tempus, ut epistolae significant, Cumis, Puteolis, Tusculi transegit »ut desertus a ceteris oblectationibus et voluptatibus propter rem publicam, ita litteris sustentatus et recreatus" [2]) Atque hoc otio dum fruebatur, primum immortales illos libros conscribere coepit, quibus quidquid eruditionis doctrinaeque habebat posteritati mandavit. Nam si commentarios »de Inventione" excipimus, qui, cum adolescentulo illi inchoata ac rudia exciderint, in hac serie numerari non debent, »Disputatio ac Dialogus de Oratore" [3]) non modo praestantia doctrinae et elegantia sermonis sed etiam temporis ratione primum locum [4]) obtinet in serie illorum librorum, quos summus Romanorum orator tamquam laetos ingenii fructus communi utilitati dicavit. Mihi quidem certe scriptionis consilium verissime iis verbis significari videtur, quae multo postea in principio II[i] de Divinatione libri dixit. Ibi enim, quum jam

---

1) fam. l. I. ep. 8 § 3.

2) ad Att. IV. 40. cf. ib. 13, fam. VII. 1.

3) ad fam. l. I. ep. 9. § 23.

4) Constat enim ex epistolis, quas jam supra attulimus, libros de Oratore scriptos esse Crasso et Pompejo II cos. — Quod si quis scire cupit quo mense fuerint absoluti: inspiciat ad Att. l. IV. 13 (a° 55 a C. n) »Nos in Tusculanum venisse a. d. XVII Kal. Dec. video te scire..... Romae a. d. XIII Kalendas volumus esse. Quid dico volumus? Immo vero cogimur. Milonis nuptiae, comitiornm nonnulla opinio est..... De libris oratoriis factum est a me diligenter. Diu multumque in manibus fuerunt; describas licet."

libros suos fere omnes, cum de oratoria facultate, tum de sapientiae studio edidisset, non sine justa quadam gloriatione exantlatos labores respiciens: »Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla major occurrebat quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror consecutum." Dein enumeratis suis de philosophia libris: — Hortensio, Academicis, de Finibus, Disputationibus Tusculanis, de Natura deorum, de Senectute, de Re publica — sic seriem illam concludit: »nostri quoque oratorii libri in eundem numerum referendi videntur: ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator." [1])

Hic nisi omnia me fallunt habemus quod volumus; neque ulla est ratio, cur non credamus Ciceroni ipsi consilium suum aperte significanti: Ut rei publicae consuleret optimarum artium vias suis civibus tradere se voluisse. »Mihi quidem" — ait eodem loco — »explicandae philosophiae causam adtulit casus gravis civitatis, cum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam, nec nihil agere poteram, nec quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem reperiebam." Tunc enim secum cogitabat illud, quod tam egregie cum ceteris ejus dictis factisque consonabat: — »Quod enim munus rei publicae, inquit, adferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem" [2]) Itaque alio quodam loco: »pristinis, inquit, orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac

1) De Div. l. II. 4.
2) ibid.

potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris, quare cumque possemus." [1])

Haec in animo habebat. Itaque qua arte ipse unus excellebat, cui quidquid in civitate valebat, referebat acceptum, eam primam docuit. Neque quidquam adversatur, quod iis locis quos modo attulimus de philosophiae studiis potissimum fit mentio: si quidem, — ut infra, ubi de doctrina horum librorum sermo erit, latius exponemus, — philosophiae studia maxime tamquam oratoris subsidia a Cicerone colebantur; neque perfecta erat ejus judicio philosophia ulla nisi »quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere." Immo universa sententia librorum de Oratore ea est, ut maxime ad libros illos philosophiae scribendos legendosque praeparent animos atque alliciant. Sed hac de re postea.

Quod si quis scire cupiat: fueritne in civitate magna harum praeceptionum necessitas, reputet ea quae Cicero in Tusculanis. »Oratorum laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur." [2]) Quod idem ut paucis ostendamus, utque plenius appareat, quinam fuerint illi quibus Cicero consulere voluerit, breviter referemus qualis fuerit usque ad illam aetatem inter Romanos institutio oratoria.

Inepti erant rhetores, qui tunc Romae dicendi artem pro-

---

1) Ibid. 7. cf. De Fin. l. I. 10 »Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possum, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei."

2) Tusc. l. II 5.

fitebantur. Neque tamen temporis diuturnitate eorum institutum senuerat; nam paucos admodum annos dicendi magistri Romae floruerunt. Athenis literarum gloria jam decidebat, cum etiam tunc Romani agricolae erant et milites et nihil aliud.

Denique, ut poeta ait:

> Punico bello secundo Musa pinnata gradu
> Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram. [1])

Sed neque tunc orationi solutae statim additum est suum decus. Epici Graeci et comoediarum scriptores dignissimos nacti sunt interpretes atque imitatores: doctrina autem oratoria et philosophia patribus cinctutis atque barbatis parum placuit. Lucio Postumio cos. (anno 173 a. C.) philosophi Epicuri sectae addicti Roma pulsi sunt. Messalla et Strabone consulibus (anno 157) rursus decretum est »ut philosophi et rhetores Romae ne essent". Sed postquam Athenienses, et Carneadem et Diogenem et Critolaum, legationem illam celeberrimam ad Senatum miserunt, ne Cato quidem Censorius, gravissimus ille Romanae severitatis atque simplicitatis defensor prohibere potuit, quominus sui cives summo studio dicendi artem amplecterentur. Quid? quod quamquam refertur Cato, audito Carneade, quam primum legatos dimittendos censuisse, »quoniam illo viro argumentante, quid veri esset haud facile discerni posset", [2]) idem tamen ipse et senex Graece discere coepit et teste Quintiliano primus Romano-

1) Aul. Gell. N. A. l. XVII. 21.
2) Plin. maj. H. N. l. VII 31.

rum quaedam de arte rhetorica conscripsisse creditur. [1]) Difficile est enim brachia contra torrentem dirigere. Idem ille Cato in Bruto, excepto uno Cornelio Cethego, cujus eloquentiae est auctor idoneus Q. Ennius, praedicatur primus eorum quos »oratores habitos esse, inquit, non conjectura tantummodo ducimur ad suspicandum, sed quos memoriae proditum est eloquentes et fuisse et esse habitos." [2]) Inter juvenes quidem jam paullo ante dicendi studium exarsit »Nam posteaquam imperio omnium gentium constituto diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit." [3]) Neque tamen satis feliciter conatus illi cessere. Etenim, ut eodem loco legimus, »primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam vim neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines discendi studio flagraverunt." In legatis scilicet Graecorum perspexerant Romani illi *πρακτικώτατοι* quantum ad rem publicam capessendam tenendamque oratio copiosa et diserta valeret. Qui philosophia simul et eloquentia, quamvis dispari genere excellebant; erat enim Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: laudabantur autem Carneadis »violenta et rapida", Critolai »scita et teretia dicta",

---

1) Quintil. III. 1. 19 Romanorum primus condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius.
2) Brut. d. cl. orat. 56.
3) de Or. l. I 14.

»modesta Diogenis et sobria." [1]) Atque hi primi inter Romanos dicendi artis veraeque eloquentiae magistri habendi sunt: ab eorum aetate statim prodiere oratores Romani, qui revera praeclaro hoc nomine digni erant. At mox magna quadam caterva rhetores Graeci Romam invaserunt, verborum illi quidem artifices versatissimi, Carneadis vero Diogenisque sapientia et eruditione prorsus carentes. Hebes atque impolitum istud rhetorum genus fuisse traditur; praeter vulgata rhetorum praecepta nihil tenebant; philosophiam ne primoribus quidem labris attigerant; de civitatibus moderandis, de aequitate, justitia, fide, litteris nihil in eorum doctrina continebatur; de prooemiis et epilogis, de divisionibus causarum minutissimis infiniti erant; uno opere eandem incudem diu noctuque tundebant. At numquam et nusquam terrarum homines in una rethorica tamquam in orbe inclusi, philosophiae autem ceterarumque disciplinarum, quae ad vitam pertinent, rudes atque imperiti boni eloquentiae magistri esse possunt. Ideoque dicendi quidem praeceptis eorum ope victa Graecia Romam victricem domuit; non injuria tamen rhetorum ludi multis offensioni fuere.

Atque hi quidem Graeci; Latini autem, quorum Plotius Gallus primus fuisse fertur, imitatores »si dis placet", Graecis etiam pejores exstiterunt. »Nam apud Graecos cuicuimodi essent — ita Crassus in dialogo — videbam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae doctrinam aliquam et humanitate dignam scientiam; hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per se ipsum est magnopere fu-

---

1) Aul. Gell. N A VI 14.

giendum. Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris ne longius id serperet providere." [1]) Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus anno 92 edictum illud censorium »de coërcendis rhetoribus Latinis" proposuerunt. Quod tamen neque eorum ludos penitus sustulit — multi enim etiam fuere postea — neque eorum instituendi genus magnopere immutavit. Querelae enim Taciti in suo dialogo Tullianis sunt simillimae: e quibus satis erit haec pauca afferre: »adolescentuli nostri .... deducuntur in scholas, in quibus non facile dixerim, utrumne locos ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis adferant". [2]) Ac verissime quidem affirmat Cicero: eloquentiam Romanos celeriter esse amplexos; sed non minore jure eodem loco illud deplorat: ita celeriter venisse ad summum, ut jam mox deperire videretur. [3])

Maximopere igitur tempora postulabant, ut Romani non a Phormione quodam impudentissimo sed a peritissimo dicendi magistro de eloquentiae viis edocerentur. Quid igitur Cicero? Quae necessitas neminem fugiebat, ad eandem sublevandam, profecto fieri non potuit quin ejus voluntas vehementer incitaretur. Satis enim constat, a puero eum non modo dicendi sed omnium litterarum exercitationum studiosissimum fuisse. Quem perpetuo fere et ambitio et amicorum pericula et rei publicae praesentes necessitates a Musarum consortio in forum revocabant: eidem quotiens aliquantulum otii da-

---

1) De Or. III. 94.
2) Dial. de Orat. 35.
3) Cfr. de Orat. III. 136 »Nunc plerique ad honores adipiscendos et ad rem publicam gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati."

batur, litterarum atque humanitatis studium gratissimum fuit perfugium, ubi et animus ex illo forensi strepitu reficeretur, et aures conviciis defessae conquiescerent. [1]) Ita autem litteras colebat, ut non modo amicis numquam deesset, sed ut illud ipsum tempus, quod ad haec studia recolenda sibi sumeret, non sibi soli prodesset. Per totam vitam juvenibus instituendis operam dedit. Marcum Coelium Rufum, quem postea de vi defendit, praetor assiduum secum auditorem habuerat; statim enim post sumptam virilem togam a patre ad ipsum erat deductus. [2]) Ipso anno vero quo scriptum est »de Oratore" (qui est 55 a. C.) audimus de P. Crasso adolescente — »nostri, inquit, ut scis studiosissimus." [3]) Paucis post annis rursus operam suam dedisse legitur Marco et Publio, Marci Licinii Crassi filiis adolescentulis. [4]) Atque, cum jam esset in unius potestate res publica — ita fere Plutarchus de postremis Caesaris annis, — nullusque jam esset ipsi dicendi locus, adolescentibus eloquentiae studiosis adeo se tradidit, ut cum sibi praecipuos Caesarianos, Dolabellam, Pisonem, Hirtium auditores devinxisset, eorum consuetudine etiam tunc plurimum in re publica valeret. [5])

Apparet a talibus moribus minime alienum esse, opportunum otium si quando daretur, scripto quoque dicendi disciplinam explicare: accedebat autem, quod domesticae conditiones non segniter ad hanc scriptionem excitabant.

Jam enim et Marcus filiolus ejus suavissimus et Quintus

---

1) Cfr. pro Archia 12.
2) Pro Coelio IV. 9.
3) Ad Q. fr. II. 9. 2.
4) Ad fam. V. 8.
5) Plut. vit. Cic. c. 40. cf. Quintil. XII. 11 et ad fam. IX. 16.

fratris filius, quos pari amplectebatur amore, ad eam aetatem pervenerant, ut mox dicendi praeceptis essent imbuendi: alter decimum, alter undecimum aetatis annum agebat. Ea autem erat illis temporibus institutio puerorum ut, sive in domo paterna discerent, ut Cicerones, sive ad publicos litterarum ludos mitterentur, a septimo fere aetatis anno apud litteratorem sive γραμματιστήν legendi scribendi numerandi elementa discerent; consequebatur apud grammaticum poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, seu studium earum artium, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem. [1]) Post expletam mentes ad illam ἐγκύκλιον παιδείαν, —neque enim latius ille orbis patebat, — ii tantum qui forenses laudes appetebant per aliquot annos ad rhetorem ventitabant: ut finis totius insti tutionis fere tunc esset quando toga virilis sumebatur, id quod fiebat olim fere decimo septimo anno completo. Ea vero aetate Virgilius, cum natus esset Pompejo et Crasso consulibus, iisdem iterum post xv annos consulibus, sive eodem anno quo libri »de Oratore" scripti sunt bullam auream fertur deposuisse. Sumpta autem toga virili »adolescentuli statim — ut Plinii minoris verbis utar — castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere dum sequuntur assuescerent. Inde honores petituri adsistebant curiae foribus et consilii publici spectatores antequam consortes erant." [2]) Pauci admodum erant ii, qui se excellentissimo cuidam oratori aut jurisperito traderent aut philosophiae discendae causa Athenas se conferrent.

---

1) De Or. I. 187. III. § 58.
2) Ep. l. VIII. 14. 4.

Anno igitur 55 Ciceroni gravissima causa erat, cur saepe diuque de rhetorica institutione cogitaret. Illud enim ex ejus epistolis clare elucet: nullum umquam patrem de filiorum educatione litteraria magis fuisse sollicitum. Vixdum sextum aetatis annum Marcus filius expleverat, cum jam a patre Graece discebat; cujus rei afferre lubet duo testimonia lepidissima: binae enim litterae ad Atticum scriptae, quae sunt anni 59, haec pauca graece adscripta exhibent: *Κικέρων ὁ 'μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον.* [1]) *καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται* [2]) Facile sentitur blanda ea verba puerili manu esse addita, patre aut dictante aut forte etiam manum regente. Neque ita multo post ambo pueri in Tyrannionis grammatici disciplinam sunt traditi: scribit enim in epistola ad Quintum fratrem anno 56. »Quintus tuus puer optimus eruditur egregie, Hoc nunc magis adverto quod Tyrannio apud me docet." [3])

Atque compertum est, sin minus utrique, saltem Quinto annum illum 55 ultimum fuisse apud grammaticum. De rhetore igitur eligendo Ciceroni cura esse debuit, — et sane elegit Paeonium. In iisdem enim domesticae vitae commentariis, qui sunt anni proximi, haec legimus »Cicero tuus nosterque (de solo Quinto sermo est) summo studio est Paeonii sui rhetoris, hominis valde exercitati et boni." [4]) Neque tamen is erat Paeonius, in cujus institutione nihil aut complendum aut corrigendum Tullius censeret: addit enim in eadem epistola haec verba, — quae magnam parentis solli-

---

1) Ad Att. II. 9.
2) Ibid. ep. 12.
3) Ad Q. fr. l. II 4. 2. — cfr. ep. 14.
4) Ibid. l. III. 3.

citudinem et prudentiam egregie exprimunt — »Sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius et θετικώτερον non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter atque illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur. In quo, quoniam ipse quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus; eodemque enim proventurum esse confidimus. Sed tamen si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus." [1] Quibus, nisi fallor, satis apparet, quantopere tum animus, tum res domesticae et familiares Ciceronem, eo maxime anno, ut de oratoria institutione scriberet, adhortata sint.

Mirabitur forte quispiam nos de Quinto fratre hic mentionem non injicere: immo putabit nos toto coelo a Ciceronis proposito aberrasse. Notum enim esse libros de Oratore unos ex omnibus Marci libris Quinto fratri esse dicatos, statimque sub initio legi illud: cupere fratrem aliquid politius de dicendi arte accipere, quam quae de eadem re inchoata ac rudia sunt effusa: in eo autem fratres inter se dissentire, quod Marcus eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuat, Quintus autem eandem ab elegantia doctrinae segregandam putet. Pro certo igitur affirmandum esse Ciceronis consilium hisce verbis omne contineri: »Ut cognoscas < Quinte frater > quae viri omnium eloquentissimi senserint de omni ratione dicendi."

At paulisper recorderis, qualis fuerit indoles Quinti, jamque apparebit quantum illis dicendi formulis tribuendum sit.

Haud obscurum est Quintum Ciceronem in honorum qui-

1) Ad Q. fr. l. III. 3. 4.

dem petitione fratris majoris vestigiis institisse, — nam et quaestor et aedilis et praetor fuit — sed minime fraterna gloria excitatum esse ad studia oratoria. Non a Musis abhorrebat, sed colebat mansuetiores: poeta fuit, si forte non optimus, at certe ingenii, ut ajunt, feracissimi. Quid, quod incredibile dictu, intra XVI dies — ut in quadam Marci epistola legimus — quatuor scripsit tragoedias. [1]) Lucretii poemata diligenter volutabat, [2]) et cum ad Marcum scriberet, quantum ex hujus responsis colligere licet, non orationes sed versus sibi rogabat! »Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis adjuvabo et tibi versus, quos rogas γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας mittam." [3]) De historiis quoque conscribendis aliquando cogitavit: Callisthenem enim et Philistum manibus versabat. En quid Marcus de eo consilio senserit! »Quod adscribis, inquit, aggrederisne ad historiam? me auctore potes." [4]) Frigida sane exhortatio, atque mediocris fraterni ingenii existimatio, — si tamen de exhortando deterrendove historico idem censet Marcus ac per Crassi personam de oratore dicit: »Si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque bonus mihi videtur esse, obsecrabo.... sin videbitur, cum omnia summa fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus, permittam ipsi quid velit; molestus magno opere non ero." [5])

Non est dubitandum, quin foro semper abstinuerit, non

---

1) Ad Q. fr. III. 5.
2) Ibid. II. 11.
3) Ibid. II. 16.
4) Ibid. II. 13.
5) De Or. II. 85.

modo quod nulla ejus oratio exstat nec usquam vel verbulo commemoratur; sed ex prologo II[i] libri de oratore discimus Quintum, sive judicio, sive pudore et timiditate ingenua quadam, sive quod putabat unum satis esse non modo in una familia oratorem sed paene in tota civitate, a dicendo refugisse. [1]) — Atque in operibus quae sub Quinti nomine adhuc circumferuntur, pauca hercle sunt oratoria. Commentarius ille »de Petitione Consulatus ad M. Tullium Fratrem," ut sit puro tersoque sermone conscriptus, admodum friget: mihi quidem ineptissimum videtur, fratrem quatuor annis natu majorem, qui jam in cursu maximarum rerum esset, sic a minore quasi a tristissimo patruo de ratione petendi honores admoneri. Quid, quaeso, attinebat ei, qui jam quaestura, aedilitate, praetura functus erat, tam fastidiose haec tria ab aedilicio inculcari: »Novus sum, consulatum peto, Roma est"? Quae quam sit absurda elucubratio, ut magis sentias, obiter eam compares velim cum egregio illo Marci commentario »de provincia administranda", qui prima primi libri ad Quintum fratrem epistola appellari solet. O Fortunatos profecto Romanorum provinciales, si omnes provinciarum praesides prudentissimis humanitatis ac mansuetudinis praeceptis paruissent, quae in hoc libello vir consularis praetori designato tradit!

Neque ignoro esse inter viros doctos, qui variis ducti rationibus opusculum illud de petitione consulatus negent esse Quinti Ciceronis; certum tamen est, ingenium aut oratoriam facultatem Quinti nequaquam illo libro commendari. Quatuor

---

1) De Or. II. 10.

vero epistolae illae, quae exstant, nihil aliud nos docent nisi Tironis eum fuisse amantissimum. [1]) Illumne igitur virum tam parum de arte oratoria sollicitum, qui jam praetorius, mox Caesaris legatus in Gallias esset profecturus, de ratione eloquentiae erudire atque magnis conatibus erroneam de oratore sententiam dedocere voluit Cicero? — Mirandum certe non est quod, cum Marcus eodem anno, quo composuit libros »de Oratore" etiam tres libros versibus edidisset, qui »de temporibus meis" inscribebantur [2]), utrumque opus se ad Lentulum missurum esse pollicetur; in epistolis autem ad Quintum fratrem, de versibus tantum fit mentio: de oratoriis libris *οὐδὲ γρῦ*.

Igitur caritatis fuit, nisi fallor, fraternaeque pietatis quod libros illos Quinto dicavit: causa vero atque finis scriptionis aliunde repetendus est.

Quid igitur? Illudne statuamus, nihil aliud voluisse Ciceronem, nisi summorum oratorum divina dicta litteris custodire, Crassi Antoniique laudem jam prope senescentem ab oblivione vindicare? Nam illud quoque initio II[i] libri significare videtur. Pietatis igitur potius atque memoriae specimen nobis dedit hisce sermonibus, quam sapientiae et eruditionis? Sane et Xenophon in Memorabilibus et Plato in nonnullis dialogis genuina magistri dicta posteritatis memoriae tradidisse existimantur: num ejusmodi aliquid hoc loco de Cicerone opinabimur? Minime vero. — Quamquam sermones illi inchoantur hac formula: »Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum ser-

---

1) Fam. l. XVI. 8, 16, 26, 27.
2) Cfr. fam. I. 9.

monem quemdam de studio dicendi intulisse; qui cum ita esset exorsus e. q. s." — quasi antiqua illa colloquia hic ad verbum exprimantur, ac totum opus rivulis ad nos deductum sit, nec velut e pleno fonte ex Ciceronis capite manarit. Atqui non ita est. Ab ipso accipere licet, qualem libertatem sibi in hujusmodi sermonibus fingendis concessam arbitretur.

Initio enim eorum quae de re publica scripsit: »Nec vero nostra quaedam, inquit, est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria est, quae mihi tibique quondam adolescentulo est a P. Rutilio Rufo, Zmyrnae cum simul essemus complures dies, exposita". [1]) Et revera Africanus et Laelius eorumque aequales deinceps loquentes inducuntur. Apparet autem ex quadam epistola ad fratrem, Ciceronem aliquando cum illos libros scriberet, omnes illos sermones sibi suisque aequalibus tribuisse. Postquam enim sermo institutus erat Africani paullo ante mortem, et Phili, Manilii, & Tuberonis et Laelii generorum, Fannii et Scaevolae »admonitus sum, inquit, ab illo (Salustio) multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republica, praesertim cum essem non Heraclides Ponticus sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem; quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse; oratorum sermonem in nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen rettulisse quos ipse vidissem." [2]) Ut in Academicis etiam tractatio illa quae

1) De Rep. I. 13.
2) Ad Q. fr. I. III. 5.

primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii, ad Varronem dein tota est traducta [1]): et quia vehementer hic cupiebat in dialogos Ciceronis includi, et quod ea quae agebantur in personas illas priores non cadebant: »erant enim λογικώτερα quam ut illi de illis somniasse umquam viderentur. [2])

Neque abs re videtur hoc loco ea addere, quae in epistola scripsit ad Varronem, cum illi Academica sua mittebat: »Feci, inquit, sermonem inter nos habitum in Cumano cum esset una Pomponius. Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar, mihi sumpsi Philonis. Puto fore ut, cum legeris, mirere nos id locutos esse inter nos, quod numquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum". [3]) Immo vero novimus; et quod Platoni omnes concedunt facile etiam Ciceroni largimur.

Ex illis quae attulimus satis apparet, Ciceronem aut benevolentiam singularem, aut cognitum personarum ingenium tamquam normam adhibuisse in elegendis iis, quos in suis dialogis disputantes faceret. Volebat sermones suos haberi ab iis, qui, si eos reapse numquam habuissent, tamen tales essent ut eos habere potuissent. Quamquam ne hanc quidem veri similitudinem diligentius persequi solebat: sed in hac quoque re, sicut in multis aliis, saepe imitatus est Platonem, qui quae aut excogitaverat ipse aut a Pythagoreis acceperat in Socratem transferebat: »Itaque, ut ait Cicero in Re publica, cum Socratem unice dilexisset eique omnia tribuere voluisset, leporem Socraticum subtilitatemque sermonis

---

1) Ad Att. l. XIII. 16.
2) Ibid. l. XIII. 19.
3) Ad fam. IX. 8.

cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit." [1]) Sic etiam in hisce libris Cicero satis significat se alia agere, quam Crassi Antoniique sermonis ad verbum referre. Nam etsi proclamat: »Quodsi quis erit, qui ductus opinione vulgi aut Antonium jejuniorem aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est, is erit ex iis qui aut illos non audierint aut judicare non possint" — fatetur tamen »Nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus et quibus Cotta *tantummodo locos ac sententias* hujus disputationis tradidisset, *quo in genere* utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare *conati*." [2])

Jam quomodo ipsa adumbratio Ciceroni processit? Mirabile est, quam multis locis Crassi verba notissimas Ciceronis sententias atque opiniones referant: jocosa reprehensio philosophiae et juris civilis, per personam Antonii, quasi perpetuo Murenianas cavillationes in memoriam revocat; etiam disputatio de facetiis »ridiculi Consulis" videtur maxime propria; atque vel ipsa Crassi educatio, quae narratur, institutioni Ciceronis, quae in Bruto refertur, est simillima. [3]) Quae autem magis serio de utilitate philosophiae ac juris scientiae, de ornatu, numero oratorio, periodis per Crassum exponuntur manifesto sunt Tulliana. Nemo enim haec omnia jam in Crasso fuisse contendet: cum neque talia conspiciantur in imagine egregia quam ejusdem inter claros oratores Cicero expressit, [4]) neque inter reliquias oratorum veterum quicquam simile sub

---

1) De rep. l. I. 16.
2) De Or. III. 16.
3) De Or. II. 74.
4) Brut. 143. sqq. 158. sqq.

Crassi aut alterius nomine inveniatur. Crassus et Antonius et ceteri quoque, qui sermonibus intersunt omnino eruditius atque ornatius inter se colloquuntur, quam ut temporibus, quibus florebant, accommodatum videatur. Quorsum haec omnia? Ut, si jam certo constet, genuinos Antonii Crassive sermones non esse, qui hisce libris continentur, concludamus, neque studium eorum gloriam renovandi satis idoneam causam fuisse, cur Cicero tantum opus in se susciperet. Quod scribit igitur Cicero initio II[i] libri, libenter se fecisse ut eum sermonem, quem illi quondam inter se habuissent, mandaret litteris, »vel ut illa opinio, inquit, quae semper fuisset tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse, vel ut ea quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem litteris, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam ut laudem eorum jam prope senescentem, quantum ego possem ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem"; — verissime eo loco aperit, quas ob causas omnem hanc disputationem summis illis oratoribus tribuerit. Magnam profecto auctoritatem et veluti sanctitatem eximii illi viri toti operi conciliant: laudes quoque, quas et in prologis Cicero et in sermonibus ipsi alter de altero praedicant, — ac praesertim eorum eloquentiae egregria specimina, quae proferuntur, revera Antonium et Crassum in perpetuum liberarunt oblivione atque immortalitate donarunt. Sed non illud fuit ipsum hujus operis scribendi propositum et quasi σκοπός; non illud fuit quod in primis spectaret Cicero: quod si voluisset, neque orationes tum longas, neque fictas omnino effudisset. Parum enim commenticiis illis sermonibus, — id quod aequales latere non potuit — consuli potuit memoriae

ac honori eorum, qui fere triginta ante annos e vivis decessissent.

Restat igitur illud quod diximus: *Ciceronem, ut rei publicae consuleret, optimarum artium vias suis civibus tradidisse.* Qui locus, inspecta quae continetur hisce libris doctrina, facile perpurgabitur.

II.

QUAERITUR QUAE SIT PROPRIA ET PRAECIPUA DOCTRINA HORUM LIBRORUM.

Postquam statuimus, quae causae Ciceronem ad scribendum impulerint, et quorum commodis maxime servire voluerit, nemo, cui quae modo disputata sunt satis probentur, mirari poterit, oratorios hosce libros longe abhorrere ab aliis, qui ante illud tempus cum ab ipso Cicerone tum ab aliis Romanis de dicendi arte scripti erant. Id quod vel raptim percurrenti statim apparebit. Nam, sive auctorem ad Herennium, sive libros de Inventione inspicimus, nihil nobis exhibent nisi seriem quandam praeceptorum, quibus varia dicendi genera, divisiones causarum, officia oratorum, orationis partes ordine pertractantur. Singula praecepta diligenter explicantur atque lectissimis illustrantur exemplis; sed omnes illi libri, subtilioribus quibusdam divisionibus forte exceptis, non inter se modo, sed etiam cum graecorum rhetorum de ea re libris, mirifice congruunt. At vero in »disputatione ac dialogo de

Oratore" ab initio monemur, »non veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum", neque ea omnia »quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt" nobis traditum iri. Cujus rei rationem reddens. »Cum illa pateant, inquit, in promptuque sint omnibus neque ea interpretatione mea aut ornatius aut planius exprimi possint." [1]) Quam rationem ex iis quae diximus jam licuit augurari.

Et certe, quamquam nulla ex praecipuis artis partibus in his libris est penitus omissa, vulgata tamen praecepta tam celeriter percurruntur, ut longe major pars totius operis versetur in iis, »quae plus quam ipsa ars putantur prodesse." Scilicet, ut eodem loco significatur, non tam ipsa dicendi ars nobis data opera explicatur, quam referuntur »quae viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint ac disputaverint de omni ratione dicendi," ea tamen lege ut eorum auctoritas, quibus summa dicendi laus a Romanis concessa sit, Graecis anteponatur. Id est, nisi fallor: ipsius Ciceronis sententia de omni ratione dicendi, partim disciplina accepta, partim usu et experientia orta clare hisce libris exponitur. Quod si quaerimus, — quoniam multa omnino de eloquentia disputari possunt — quaenam sit praecipua doctrina et quasi summa sententia hujus institutionis; equidem omnibus consideratis nullus dubito, quin ea sit dicenda, quam in prologo secundi libri Tullius expressis verbis enunciat. Sic enim scribit:

»*Illud est hujus institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina sed ne sine omni quidem sapientia florere unquam et praestare potuisse.*" [2])

---

1) De Or. I. 23. 2) De Or. II. 5.

Illud scilicet, quam arcte inter se cohaereant dicendi studium et magna multarum rerum scientia hisce libris explicatur; ostenditur, cum artis praecepta, tum cognitionem eorum quae ad vitam pertinent, oratori esse necessaria: ita tamen, ut, — quod tempora postulant — multo magis inculcetur »neque quemquam in eo disertum esse posse quod nesciat"; quam alterum illud: »Neque si optime sciat, ignarusque sit faciendae ac poliendae orationis, diserte id ipsum de quo sciat posse dicere." [1])

Atque sic mihi persuadeo, neminem attenta mente hos libros saepius perlegisse, quin doctrinam illam, quam diximus non modo sibi vehementer approbatam commendatamque habeat, verum etiam, haec eadem ipsi quasi proprius *χαρακτὴρ* hujus institutionis esse videatur. Quum tamen ea sit natura dialogorum, in quibus late et libere currat oratio, quippe quibus unica norma esse solet Platonicum illud: *ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥςπερ πνεῦμα φέρῃ ταύτῃ ἰτέον*, ut potius conclusiones nobis insinuari et quasi instillari sentiamus, quam ut distincte singulas rationes, quibus illae nobis persuadentur observemus, juvabit opinor in iis sermonibus, qui huic loco magis conveniunt paullo diutius immorari. Cumque longior sit omnino haec Ciceronis disputatio, quam ut facile memoria comprehendatur, illud praestare conabimur, ut universam sententiarum seriem repetentes et quasi in conspectu ponentes, ea diligentius contemplemur, quae ad illam doctrinam, quam diximus, aut explanandam aut commendandam magis pertineant.

---

1) De Or. I. 63.

Jam a librorum divisione inchoëmus. Opus omne, sicut fabula, »trium actuum", ut loquuntur, divisum est in sermones tres, quibus singulis Cicero, quum dialogis ipse non intersit, quasi πρόσωπον agens προτατικόν prologum praemittit. Lucius vero Licinius Crassus et Marcus Antonius primas partes in fabula sustinent, uterque consularis et censorius, atque summa dicendi laude vitaeque gravitate conspicuus; aequales illi quidem inter se, Cicerone autem XXX ferme annis majores. Secundae vero partes in primo sermone aguntur a Q. Mucio Scaevola Q. F. Augure, qui jam aetate senex est atque ipsius Crassi socer. Illius vices in reliquis collocutionibus subeunt »par nobile fratrum," Q. Lutatius Catulus et C. Julius Caesar Strabo Vopiscus; Publium autem Sulpicium Rufum et C. Aurelium Cottam tritagonistas esse non absurde dixeris. Ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος, ut solemni scholiastarum sermone loquamur, ὑπόκειται in Crassi Tusculano. Finguntur autem sermones haberi Philippo consule et L. Caesare i. e. anno 91 a. C., tempore feriarum Latinarum. — Jam in prologo, exorsus a commemoratione temporum suorum turbulentium, quae ipsa sua atrocitate otium ad scribendum offerant, mox sese Cicero ad fratrem convertit, cujus gratia se praesens opus suscipere profitetur. Duas dein refert de natura eloquentiae sententias: unam, quae ipsi probatur: eloquentiam inter artes numerandam esse; altera, quae Quinto tribuitur, ea est: totam dicendi rationem in quodam ingenii atque exercitationis genere esse positam. Mox egregio quodam artificio, et suam suadet sententiam, et eloquentiam extollendo atque ornando, lectorum animos sibi conciliat: ex paucitate oratorum excellentium, cum tamen neque causae, neque copia discentium,

neque praemia desint, incredibilem rei magnitudinem atque difficultatem demonstrat. Id quod eo explicatur, quod oratoris munus sit pluribus ex artibus studiisque collectum. Primum quidem esse scientiam comprehendendam rerum plurimarum, dein multa etiam alia necessaria esse; oratoris enim esse omni de re, quaecumque sit proposita, ornate copioseque dicere; neminem igitur omni laude cumulatum esse, nisi sit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. »Etenim ex rerum cognitione, inquit, efflorescat et redundet oportet oratio". — Ne tamen perfectae eloquentiae difficultate deterreat eos, quos ad eam persequendam allicere cupiat, ita statim sermonem suum temperat, ut tametsi in summi oratoris vi haec omnia contineri contendit, tamen iis quoque, qui in solis forensibus disceptationibus judiciorum ac deliberationum versentur, oratoris nomen concedat. Itaque: »non complectar, inquit, in his libris plus quam quod huic generi, re quaesita et multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum". Jamque transit ad ipsum dialogum referendum, »sicuti eum Cotta narrare solebat."

Crassus igitur, cujus sermones longe majorem partem primi libri implent, cum aulaeum premitur, magnifice de sua arte praedicat: oratoris facultatem ceteris omnibus anteponit, primasque ei in pacata re publica partes tribuit: esse enim nihil admirabilius, jucundius, utilius, quam unum posse ad se convertere omnium civium animos; nihil esse magis proprium humanitatis quam sermonem facetum ac nulla in re rudem (i. e. perfectum in omni); quo qui excellat, eo excellere quo homines maxime inter animantia excellant: »Hoc enim inquit uno praestamus vel maxime feris, quod colloqui inter

nos et quod exprimere dicendo sensa possumus." Quam vero vim aliam potuisse homines rudes congregare, civitates condere, conservare, excolere, nisi potentem illam et quasi divinam eloquentiae artem? Perfecti oratoris igitur moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum et universae rei publicae salutem maxime contineri.

At Q. Scaevola, ut Mucii omnes, eloquentiae non ita studiosus, quamquam est ille quidem »juris peritorum eloquentissimus": [1]) »Cetera, inquit assentior Crasso...., sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere: unum, quod ab oratoribus civitates et initio constitutas et saepe conservatas esse dixisti, alterum quod remoto foro contione judiciis senatu, statuisti oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum". Illud impugnat inducendo Romulum, Numam, Servium, Brutum, quorum magna quidem fuerint de re publica merita, cum tamen de illorum eloquentia nihil constet; contra excitat Tiberium et Cajum Gracchos, viros certe eloquentissimos sed civitati exitiosos. Alterum autem ea ratione refellit, ut ostendat, varias philosophorum familias atque artificum genera melius de iis, quae sua cujusque arte continentur, dicere, quum orator ignoret, quae ipsi perfecte sciant.

»Quamobrem — ita ille — ista tanta tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in judiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior et probabilior esse videatur; ut in concionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat

---

1) Orator § 144.

oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris".

Ad haec Crassus disceptationem aliquam, quam olim Athenis hac de re habuit, refert, et sponte fatetur, non deesse inter Graecos hujus sententiae patronos: quinimmo posse vel ipsum Platonem tamquam auctorem citari illius sententiae, oratores cum a gubernaculis civitatum tum ab omni doctrina esse repellendos: satis esse Gorgiae dialogi admonere. — Quae tamen sententia, cum tota in hoc sit quod neget ad oratorem rerum scientiam pertinere, iis ipsis quae concesserat Scaevola, facile confutatur. Concedebat Scaevola, oratorem copiose loqui apud populum et in Senatu; respondet igitur Crassus, eum numquam hoc posse sine legum, moris, juris scientia; neque natura hominum incognita ac moribus. Quaerit etiam, quid ei qui haec teneat, abesse possit de omnium rerum scientia. Ex eo autem quod largiebatur Mucius, eundem diserte loqui: ergo etiam ea de quibus dicit orator teneat necesse est. »Dicendi enim virtus, inquit, nisi ei qui dicet ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest." Atque Democritum, Platonem, Aristotelem, Carneadem commemorat qui, cum essent philosophi, eloquentissime disputarunt. Quos Crassus tamen ideo praeclare dixisse ait, quod praeter sua studia etiam ea tenerent, quae essent propria oratoris; non ideo, quod essent boni philosophi. Chrysippum [1]) enim, quamvis philosophia fuerit excellens jejune et exiliter dixisse. Quare »Quidquid erit, inquit, quacunque ex arte,

---

1) Confer sis de Finibus IV. § 7 »Scripsit autem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam, sed sic, ut si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat."

quocumque de genere, id orator, si tamquam clientis causam didicerit, dicet melius et ornatius quam ipse ille ejus rei inventor atque artifex."

Tum, ut ante occupet quod videt opponi: esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, ideoque et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam; — »In his ipsis rebus, inquit, permulta sunt, quae isti magistri qui rhetorici vocantur nec tradunt nec tenent". Oratoris enim esse animos hominum movere: neminem igitur dicendo, quod velit perficere posse, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitentur aut reflectantur penitus perspexerit. — Juris autem et legum et rei militaris et physicorum et mathematicorum scientia quantopere in foro usui sit, exemplis magis quam argumentis demonstrat. Concludendum igitur: »si quis universam et propriam oratoris vim definire vult, is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus nomine, qui quaecumque res inciderit quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat cum quadam actionis etiam dignitate."

Neque tamen omnino exigit, ut omnis orator omnium rerum scientiam per se ipsum teneat. Nam illud iterum confirmat: etiamsi quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt orator ignoret, tamen his de rebus ipsis, — cum cognoverit ab iis qui tenent, quae sint in quaque re — multo melius quam ipsos illos, quorum eae sint artes, esse dicturum. Atque ex ipsa philosophia duas partes facile largitur hominum inertiae; dummodo ea pars, quae est de vita ac moribus, retineatur. »Quam quidem, inquit, nisi tenebimus, nihil oratori in quo magnus esse possit relinquimus." — Quod sane rectissime. Qui

enim virtutum vitiorumque, boni malique cognitione instructus non sit, nec hominum ἤθη et πάθη et dignoscere et tractare didicerit, magnus sane orator esse non potest.

Tum ridens Scaevola: »Non luctabor tecum, inquit, Crasse, amplius." Ita jam inter se conveniunt amici, ut alter omnes artes doctrinasque proprias esse oratoris neget, alter eas omnes oratoris comites ac ministras faciat. Neque omnia tamen Scaevola concedit; dubitat enim, an non plus tributum sit perfecto oratori, quam res et veritas concedat: Ipsi enim Crasso nihil deesse, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, neque eam tamen scientiam, quam adjungat oratori, amplexum esse. Fatetur suam ignorantiam Crassus, illudque meminisse jubet, se non de sua sed de oratoris facultate dixisse; atque: »Quid censes, inquit, si ad alicujus ingenium vel majus, illa quae ego non attigi accesserint, qualem illum et quantum oratorem futurum."

Quid autem Antonius, cujus jam sequitur oratio? Narrat ille, quae olim Athenis homines doctissimos, Mnesarchum, Charmadam, Menedemum inter se disputantes audiverit de officio et ratione oratoris. Orationem Mnesarchi Stoici, qui eloquentiam virtutem aliquam diceret eandemque sapientiam, spinosam sibi et exilem longeque a Romanorum sensibus abhorrere visam esse. Magis placuisse opinionem, quam contra Menedemum rhetorem defenderet Charmadas Academicus: neminem posse facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset; nullam tamen esse artem dicendi. Quam sententiam tribus eum rationibus confirmasse: una, quod nulla esset ars earum rerum, quas natura duce, consuetudine, exercitatione facile addiscimus: altera, quod nemo eorum, qui se hujus artis scriptores profiterentur, vel mediocriter disertus fuisset.

Tertiam autem rationem, quae ex ipsa definitione artis peteretur ita refert Antonius: »Artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et numquam fallentibus rebus contineretur. Haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta, quoniam et dicerentur ab eis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab eis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa aut certe obscura opinio". — Quibus Charmadae sententiis adductus, quae dicta sunt a Crasso ita probat, ut tamen disertos ab eloquentibus disjungat. »Scripsi etiam, inquit, quodam in libello, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem, — quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere, eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret." Hoc quidem difficillimum esse. Non desperat tamen fore aliquem aliquando »qui et studio, inquit, acriore, quam nos sumus atque fuimus et otio ac facultate discendi majore ac maturiore et labore atque industria superiore, cum se ad audiendum, legendum, scribendumque dederit, existat talis orator, qualem quaerimus, qui jure non solum disertus sed etiam eloquens dici possit."

Paulum inde morae; gratulantur inter se Sulpicius et Cotta, quod in illum sermonem delapsi sint. Jam Crassus sententiam rogatus »existimetne artem aliquam esse dicendi", postquam diu sese respondendi muneri facete subtraxit, carpens nimirum Graeculos, ad respondendum de omnibus rebus paratos; tandem multum lacessitus ita pronunciat:

nullam esse artem dicendi, si ars ita definiatur ut paulo ante ab Antonio. »Sin autem, inquit, ea quae observantur in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis definita, generibus illustrata, partibus distributa sunt, (id quod video potuisse fieri) non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione ars esse videatur."

Tum Antonius vehementer assentiri se Crasso dicit. »Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus quam ipsam artem posse prodesse." »Dicam equidem", inquit Crassus. Initium dein facit a donis naturae, quae arte accendi aut commoveri possint, inseri non possint: celeribus ingenii motibus, memoria firma, linguae solutione, vocis sono, lateribus, conformatione quadam et figura totius oris et corporis. Nam etsi non in eam sententiam disputat, ut homines adulescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino deterreantur, tamen »quia de oratore quaerimus," inquit, »fingendus est nobis oratione nostra detractis omnibus vitiis orator atque omni laude cumulatus". Ad felicem vero naturam »studium et ardorem quemdam amoris" accedere debere, sed, quoniam »studia nihil prosint perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo quo intendas ferat deducatque, cognoris" — tertio loco ad artis praecepta reditur: rhetorices summa capita raptim percurruntur. De cujus pretio et utilitate hoc judicium profertur. »Si nihil dicam adjuvare, mentiar. Habet enim quaedam quasi ad commonendum auctorem, quo quidque referat et quo intuens, ab eo, quodcumque sibi proposuerit minus aberret. Verum ego autem hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores elo-

quentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent ea quosdam observasse atque collegisse."

Post varia exercitationum genera, postremo multarum rerum scientiam iterum commendat: »Legendi poëtae, inquit, cognoscendae historiae, omnium bonarum artium doctores atque scriptores legendi et pervolutandi et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi refellendi; disputandum de omni re, perdiscendum jus civile, cognoscendae leges; percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, jura sociorum, foedera, pactiones; causa imperii cognoscenda est, — libandus est etiam et ex omni genere urbanitatis facetiarumque quidam lepos."

Quae cum Crassus dixisset, silentium est consecutum. Cum vero sentirent, qui aderant, celerius esse multo quam ipsi vellent ab eo peroratum, mox, ipso Scaevola petente, Crassus ex iis quae brevissime percurrerat, ea accuratius exponit, quae oratori cognoscenda esse dixerat. — Multis adductis exemplis et rationibus demonstrat, juris publici privatique scientia quam utilis et necessaria sit oratori, quamque facilis et jucunda ad discendum. Cum tamen de artis quoque praeceptis plura audire cupiant, haec provincia Antonio demandatur.

Qui antequam ad illam partem aggreditur, multis quidem verbis ea quae dicta sunt impugnat; magis tamen contra dicendi lubidine, quam veritatis studio, — quod postea ipse fatebitur. Retenta igitur distinctione eloquentem inter et disertum, negat ad oratorem, qualem illa tempora exigant »qui et verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus," tantam doctrinam pertinere, quantam Crassus postu-

laverit. Nam philosophiam ob hasce rationes excludit: quod hominum animos satis natura duce commoveri discamus, et quod philosophorum decreta a vitae consuetudine et a moribus civitatis longissime abhorreant. Juris autem scientiam haud pluris aestimat; in maximis enim causis, de quibus modo Crassus, non qui juris fuisset peritior, sed qui melius dixisset, superiorem discessisse. »Quae quam sit facilis — ita perbelle jurisperitorum fastum notat — illi viderint qui ejus artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant!" Se igitur, si quando causam aliquam obscuriorem agere deberet, Scaevolam aditurum esse; reliqua vero, »historiam et prudentiam juris publici et antiquitatis memoriam et exemplorum copiam", si quando opus esset, mutuaturum a Congo. Neque tamen negat prodesse ullam scientiam; »sed multa inquit et magna et difficilia sunt ea, quae oratori sunt necessaria, ut ejus industriam in plura studia distrahere nolim." Quare potius ipsas dicendi exercitationes in quibus multus fuerit Demosthenes, maximopere commendat; cetera autem, quae sint collecta ex variis et diversis studiis et artibus, ab oratoris proprio officio atque munere sejuncta esse arbitratur.

Tum Crassus: »Operarium nobis quemdam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam praestitit." Atque post pauca verba reliquos sermones in posterum diem differre placet.

In prologo disputationis secundae, de qua, quoniam magnam partem in τεχνολογίᾳ versatur, breviores esse possumus, Cicero praeclaro sermone ex pueritiae quadam recordatione

confirmat id, quod jam priore libro haud obscure indicaverat; Crassum et Antonium magis doctrina et eruditione praestitisse quam vulgo opinarentur. Jam puerum se sensisse, Crassum »Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur: nihil ei novum, nihil inauditum videri." De Antonio vero e patruo accepisse se ait »quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset", seque ex eo multa saepe quaesivisse; nullius autem rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare posset adolescentulus, rudem aut ignarum esse visum. Utrumque autem suam dissimulasse doctrinam.

»Quorum consilium, ait, quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. *Illud autem est hujus institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina sed ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse.* Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae; bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis saepta teneatur. Omnia quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. Quare equidem.., multos magna laude dicendi sine *summa* rerum *omnium* scientia fuisse fateor; talem vero existere eloquentiam, qualis fuit in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam pertinerent tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo."

Sic paucis sed gravissimis suis verbis Cicero hoc loco, aperire voluit, quantopere sibi probarentur, quae in superioribus per Crassi personam erant disputata; credo, ne forte putaremus,

eum potius iis favere, quae contra erant dicta ab Antonio. Ceterum, quam prope hujus quidem, quae referuntur, opiniones ab illis Licinii aut potius Tullianis sententis absint, altera haec disputatio ostendit: liber II enim fere totus Antonii sermonibus continetur.

Qui antequam sive *de inventione*, sive *de collocatione* rerum et locorum dicere coepit, — has enim partes deinceps explicabit — »docebo vos, inquit, discipuli, quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam." Atque primo quidem quod pertinet ad quaestionem, *utrum sit ars dicendi:* negat, si ars dicatur esse earum rerum quae sciuntur; oratoris enim omnem actionem opinionibus non scientia contineri. Nam oratores contrarias saepe causas dicere: immo vero singulos eadem de re alias aliud defendere solere, cum tamen plus uno verum esse non possit. Quum tamen non neget praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, et ad excipiendas eorum voluntates: »Hujus rei scientiam, inquit, si quis volet magnam quamdam artem esse dicere, non repugnabo." Notari enim posse, quid sit, quare alii melius quam alii dicant, ideoque id qui toto in genere fecerit, eum si non plane artem, at quasi artem quamdam invenisse. — Tanto opere dein Antonius dicendi facultatis jucunditatem, utilitatem, potentiam extollit, ejusque regnum tam late extendit, ut dici nequeat ipse Crassus superiore die quicquam magnificentius de ea praedicasse. Quaecumque sive in senatu, sive apud populum, sive in judiciis: quae aut suadendo, aut vituperando, aut laudando, aut sedando, aut consolando agerentur, — omnia esse propria oratoris; ne historiam quidem alia nisi oratoris voce immortalitati commendari. Quae munera hoc fere pacto — est enim ejus disputatio paullo obscurior — uni dicendi arti vindicare videtur:

Verborum et sententiarum et argumentorum electione et ordine haec omnia continentur; ergo dicendi ars ea sua esse profitetur. Sunt haec igitur aut dicendi artis propria, aut illi arti cum alia communia. Non sunt autem communia. Etsi enim qui aliarum artium sunt periti, ut agricolae, medici, pictores de suis rebus bene locuti sunt, non idcirco illarum artium putanda est eloquentia; sed aut aliquid ab hac arte data opera didicerunt, aut, quia vis magna est in hominum ingeniis ideo multi etiam sine doctrina aliquid hujus artis consequuntur. Sunt igitur propria. Id quod alia quoque ratione confirmat. »Quid cujusque sit proprium, inquit, etsi ex eo judicari potest, cum videris, quid quaeque doceant, tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest."

Admirantur auditores atque Crassus: »Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit hominemque reddidit." Tum Antonius jocose: »Heri hoc mihi proposueram ut, si te refellissem, hos abs te discipulos abducerem, nunc Catulo audiente et Caesare, videor debere non tam pugnare tecum quam quid ipse sentiam dicere."

Sequitur artis expositio hujusmodi, ut, quamvis omnia attingantur quae de inventione atque collatione rerum, deque *memoria* praecipi solent, nihil tamen fastidiosi aut aridi irrepat: ita sapienter luminibus, exemplis illustribus, narrationibus, vulgaria illa perficiuntur, condiuntur, distinguuntur. Advertit, quam immerito in distributione artis causae infinitae negligantur; negat laudationum genus potiore jure tamquam tertium genus disceptationibus et suasionibus adjungi quam aut testimonia, aut mandata, aut historiam,

Difficiliora tantum ad artem revocanda esse; cumque non sit artificium simile ceterorum, ut omnia possit comprehendere, idcirco cavendum esse in hac arte a nimia diligentia. Igitur vulgaria elocutionis inventionisque praecepta breviter percurrit; quae vero postulentur in historia virtutes, quae infinitae quaestiones comprehendendae, quanti facienda sit prudens summoram oratorum imitatio, qui causarum cognitio acquirenda, quando et quatenus animos commovere oporteat, qualis sit selectio et ordo argumentorum: haec copiosissime et sapientissime explicat. Excursus, ut ajunt, aptissime inserti de Graecorum historicis, oratoribus, philosophis, magnam eam, quam dissimulare ipse solebat, eruditionem commendant; ejusdem oratoriam gloriam praeclara exempla ex oratione in Carbonem, ex defensione Norbani, repetita magnifice renovant. Tantam denique historiae, litterarum, philosophiae scientiam exhibet ut, qui audiunt, hanc admirantes, jam mirari desinant, quod multo magis ante mirabantur; eum, cum haec nesciret, in dicendo posse tantum.

Postquam Antonius peroravit, — de facetiis earumque in orationibus usu, copiosissime disputat Caesar, quo »nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior." [1]) Rogatus est enim, ut ea quae de locis, qui valerent ad commovendum conciliandumque, disputarentur, hac tractatione absolveret. Quae quidem ideo, ni fallor, Cicero hisce sermonibus uberrime tractata voluit, ut suum dicacitatis studium et frequentem facetiarum usum antiquorum auctoritate et exemplis commendaret atque defenderet. Nam ex Quintiliano audimus ὕπατον illum γελοῖον visum esse nonnullis nimium in

---

1) Brutus 177.

orationibus risus affectatorem; a Plutarcho quoque contenditur, Ciceronem ridendi cupiditate usque ad scurrilitatem provectum esse neque in causis satis decori rationem habuisse, immovero etiam illa dicacitate multos laesisse et famam malitiae contraxisse. Ipse autem Cicero illa facultate ita gloriatur, ut, si acute aut facete dictorum famam effugere velit, famam ingenii abjiciendam esse dicat. [1]) Post Caesaris sermonem, Antonius quaedam memoriae praecepta addit. Reliqua in postmeridianum tempus differuntur.

Jam tertium librum percurramus, in cujus prooemio Cicero statim altius assurgit, et concitato animo tum mortem Crassi, qui vix decem diebus post hos sermones exstinctus est, tum ceterorum, quos his libris adamavimus, tristem interitum enarrat. Sed ipsorum quoque colloquentium sermones jam ab initio gravius aliquid atque elatius sonant. Superest ut dicatur de *elocutione* et *actione;* quae partes Crasso explicandae. Qui leniter conquestus, quod Antonius ea divisisset, quae sejuncta esse non possent, cum sibi sumpsisset quid dici ab oratore deberet, ipsi autem reliquisset quemadmodum illud ornari oporteret, continuo sese effert ad considerandam consensionem, qua rerum universitas contineretur:

---

1) ad Fam. IX. 16. § 3. — Facete a Cicerone dicta primo collecta videntur a C. Trebonio cfr. ad fam. XV. 21 et XII. 16. Praeterea saltem usque ad aetatem Macrobrii circumferebantur. III libri de jocis Ciceronis ab Tirone ejus liberto scripti, quorum et Quintil. VI. c. 3 § 5 et scholia Bobiensia (ad Sest.) mentionem faciunt. Inter recentiores de Ciceronis facetiis accurate egerunt:

Dr. Anton Haacke »De Ciceronis in orationibus facetiis" 1889 (progr. gymn. Burg.) et Dr. Christian Herwig »Das Wortspiel in Ciceros Reden 1889 (Jahresber. gymn. Attendorn.)

»nullum esse genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant vim suam atque aeternitatem conservare possint." — Probat igitur sententiam antiquorum »omnia haec quae supra et subter sint unum esse et una vi atque una consensione constricta esse." — »Sed si haec major esse ratio videtur, inquit, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi, est etiam illa Platonis vera et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Sed si hoc quoque videtur altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus. Una est enim, quod et ego hesterna die dixi et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia, quascumque in oras disputationis regionesve delata est." — Licet igitur censeat in cunctis oratoris muneribus rivis esse deductam orationem, non fontibus, et quocumque ingrediatur, eodem esse instructam ornatu, profitetur tamen se non plus suscepturum esse quam sibi imponatur. Prius tamen quam ea attingit quibus orationem ornari atque illuminari putet, et ex comparatione cum variis singulorum sensuum voluptatibus atque fingendi pingendique artibus, et Graecorum Romanorumque oratorum virtutes dispares egregie illustrando, illud statuit: in una eloquentia atque ex una institutione esse dicendi genera varia, sed pari excellentia.

Quorsum haec omnia? Nimirum ut etiam hoc modo et eloquentiae magnitudinem et suam doctrinae copiam ostenderet. Ipse tamen modeste »Haec eo mihi praedicenda fuerunt, ut si non omnia, quae proponerentur a me, ad omne vestrum studium et ad

genus id, quod quisque vestrum in dicendo probaret, adhaerescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur."

Quibus absolutis, jam de elocutione agere instituit: in qua nullum esse dicendi modum meliorem, »quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicatur." Duo priora paucis absolvit; sed, ubi ad apte ornateque dicendi doctrinam pervenit, latius rursus evagatur oratio. Rhetores, qui scientia omni careant, nullo modo oratorum vim suis praeceptis esse complexos; ornate enim dicere neminem posse, nisi dicat »illuminate et rebus et verbis;" ut vero apta sit oratio, ita moderandam esse, ut rerum, ut personarum dignitates ferant. Quare eloquentiae vim »eam esse quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia sic verbis explicet, ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, possit impellere".

Dolendum igitur, cum veteres cogitandi pronuntiandique rationem et vim dicendi sapientiam nominarent, atque iidem »omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad rem publicam pertinerent, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione jungerent" — post Socratem »discidium illud exstitisse quasi linguae atque cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent." Socratem enim commune (philosophiae) nomen eripuisse, sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientias, re cohaerentes disputationibus suis separasse; ejus autem sententiam permansisse in omnibus philosophorum familiis, quae essent ab ipso ortae; ex quo factum esse, ut jam communiter diserti a doctis dissociarentur, ut philosophi eloquentiam despicerent oratores

sapientiam. Si quis igitur Periclem aut Demosthenem sequi cupiat, et »praeclaram illam et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem" adamarit, a philosophis sapientiam accipiat. Cum tamen non omnium sapientium doctrina videatur aeque dicentibus accommodata, Carneadiam aut Aristotelicam vim comprehendendam esse — ut perfectus quis fiat orator.

Ne quem tamen infinitus ille labor deterreat, et ex sua institutione, et ex aliarum artium analogia satis apparere: ut satis bonus fias orator, non esse rem tanti temporis aut tanti laboris. Atque commemorat, cur rhetores Latinos Graecis etiam pejores suo edicto ejecerit: eos adolescentium ingenia obtundere, impudentiam corroborare; cum praeter exercitationem linguae doctrinam et humanitate dignam scientiam haberent nullam. Tandem ad ornatus praecepta paullatim rediens: ea praesertim explicat, quae ad universam orationem pertinent. Non minus quam Antonius superiore die tractationem quaestionum infinitarum commendat; distributionem, quam negligant artis scriptores, earumque praestantiam egregie explanat: »Ornatissimae, inquit, sunt orationes eae, quae latissime vagantur, et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt, ut ii, qui audiunt, natura et genere et universa re cognita, de singulis reis et criminibus et litibus statuere possint." Itaque omnem istam prudentiae possessionem, in quam, ut ait, homines quasi caducam atque vacuam abundantes otio involaverint, oratoris esse eique vindicandam.

Dein artium divisionem conquestus: »Non in hac, inquit, Catule, re sed in aliis etiam compluribus distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium deminutae."

Antiquos multas simul artes tenuisse; maxime Aristotelem qui ornarit et illustrarit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxerit.

Denique totum hunc locum, vel potius omnia, quae in hanc sententiam disputata sunt, concludens: »Nunc, inquit, sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam junctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam; dummodo hoc constet, neque infantiam ejus qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque inscientiam illius cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam. Quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam quam stultitiam loquacem. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos dijungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia; quae quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur."

»Haec cum Crassus dixisset parumper et ipse conticuit et ceteris silentium fuit." Scilicet,

> ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ,
> μῦθον ἀγασσάμενοι·

Tum Cotta: cum dicendum esset de illustranda oratione, »repente, inquit, te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit." Totus in Academiam compulsus, ut discat »pro omnibus et contra omnia disputare" libenter consumet

aetatem. Tum Caesar: se una re maxime commotum esse: quod negaverit Crassus, eum qui non cito quid didicisset, umquam omnino posse perdiscere. Sulpicius vero, quippe qui nec Aristotelem istum neque Carneadem desideret, et cui forensium et communium vulgaris cognitio satis magna ad eam, quam spectet, eloquentiam videatur, Crassum ad id, quod erat propositum, revocat: »refer ad illa te, inquit, quae ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent." Qui cum morem gerat, jam in »pervulgatis" illis, ut ait, et »minutissimis" rebus, reliqua ejus oratio versatur. Igitur elocutionis praecepta breviter, sed multa arte explicat: dicit de verborum sententiarumque figuris, de collocatione verborum. De efformandis autem periodis deque numero oratorio, — quibus excellit Cicero — paullo latius disputat. De eo, quod decet et aptum est, perpauca addit. Peroratio tandem omnium horum sermonum *de actione oratoria* praeceptis quasi continetur; quae actio, quamquam post inventionem dispositionem elocutionem memoriam, ut postrema pars rhetorices numerari solet, tamen, ut ait Crassus, »in dicendo una dominatur." Sed placet iis jam finem sermonibus imponere. »Surgamus, inquit Crassus, nosque curemus et aliquando ab hac intentione disputationis animos nostros curaque laxemus."

Celerrime pervolavimus, quae essent huic institutioni cum vulgatis rhetorum artibus communia; quae horum librorum propria viderentur accuratius adumbrare sumus conati. Ita enim universam disputationem illustrare volebamus, ut ea praesertim dilucide cernerentur, quibus ipsa hujus operis doctrina videretur contineri. Quodsi conatus nostri, ut spero, non plane irriti fuere, — neque enim perfecta quaedam

hujus operis effigies exprimenda erat, sed imagines tantum, quas lector benevolus jam ex sua priore lectione memoria teneret, excitandae quodammodo atque revocandae — jam non multis verbis, opinor, opus erit ut probemus, caput omnium harum litterarum esse illud, quod supra Tullii verbis enuntiavimus: »neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse."

Demonstravit Crassus oratori, ut doceret, ut delectaret, ut moveret multarum atque magnarum rerum scientiam necessariam esse; pernoscendas esse res, quae oratione explanarentur; non placere posse qui diceret, nisi appareret multis artibus perpolitus; neminem flectere et commovere animos, qui naturas, affectus moresque hominum non perspexisset. Tenendam esse igitur et doctrinam de vita et moribus, et litteras multas, et vel maxime cognitionem omnium earum rerum, quae oratione tractarentur. Ergo, qui tantummodo ad populum et in senatu dicere vellet, ei et historiam et antiquitates et leges et jura perdiscenda esse; qui vero perfectus dici vellet orator, quoniam nullis terminis includeretur eloquentiae regnum, neque ulla doctrina, quae ad vitam pertinet, tractationem orationis non postularet -- omnem sapientiam eum possidere esse necesse. Neque aliorum colloquentium sermones hanc sententiam ullo modo infirmarunt. Nam quae a Scaevola objecta sunt, quid nisi hoc ostendunt, prudentiae infanti non omnem utilitatem abjudicandam esse? Quae vero Antonius contra dixit, illud tantum effecerunt non omnia philosophorum placita oratori convenire, neque juris studium oratori tanti faciendum esse, quanti ingenii dona dicendique exercitationem et diligentiam, maxime autem ca-

vendum, ne philosophiae studia diuturniora omnes animi vires absumerent; probabiliorem denique vulgo sermonem esse, qui nullam haberet nimiae eruditionis significationem. Sapientissima sane et praeclara monita, quae, quum etiam Ciceroni non probari non possint, manifeste ostendunt Ciceronem non magis Crassi quam Antonii sermonibus, quid ipse sentiret, nobis explicare voluisse.

Nemo, nisi fallor, opinabitur multas illas artes et disciplinas non rectissime in oratoris supellectili esse positas; sed quae in tertio potissimum libro inter eloquentiam et ceteras doctrinas statuitur necessitudo, magnopere vereor, ut omnibus probetur. Vult enim eloquentiam, quam alii ab omni elegantia doctrinae segregent, velut omnium artium et disciplinarum reginam celebrari; huic ceteras omnes quasi »ministratrices et comites" tribui; sapientiam autem omnem, quae non habeat eloquentiam sibi conjunctam mancam atque imperfectam esse. Cum enim multi sint hac aetate, qui parum solliciti de sermonis elegantia nihil magis aestiment aut procurent quam doctrinarum humanarum augmentum perpetuum; qui laude dignissimam censeant vitam illius, qui totam aetatem consumat, ut per subtilissimas inquisitiones, aliquam veritatis particulam summae humanarum cognitionum addat: — fieri non potest, quin illis nefas videatur sapientiam omnem subjici eloquentiae. Jam hisce igitur auctor sum, ut, antequam Ciceronem condemnent, paullum nobiscum considerent, qualis fuerit oratoris species in ejus mente expressa.

Nihil est in ullo genere rerum, quas aut oculis aut auribus percipimus, tam pulchrum atque perfectum, quo pulchriora cogitare non possimus. Ea est enim vis humanae men-

tis, ut ex contemplatione eorum, quae in variis generibus cognoverit excellentia, cogitatione informet sibi speciem aliquam, quae illorum omnium praestantiam adeo excedat, ut in rerum natura imitando effingi atque exprimi nullo modo possit.

Jam fingas tibi hominem acerrimi celerrimique ingenii, memoriae firmissimae; fac eundem rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, tanta scientia praeditum, quanta assiduo studio, multo otio, amplissimis subsidiis comparari poterit; sit idem prudentia pietate justitia, et si quae sint aliae virtutes nobilissimae, ornatus atque excellens: huic sapientiae laudem sapientisque nomen omnes verissime concedent. Cui si etiam neque linguae solutio, neque vocis canora suavitas, neque corporis et oris dignitas, neque aut latera aut vires desint, non deerit, opinor, ardor et amor dicendi, ut quos intus collegerit sapientiae thesauros eos aliis impertiatur; quaecumque utilia atque salutaria noverit ad bene beateque vivendum, omnibus persuadere gestiet. Jam qui, ita ut dixi, instructus scientia optimisque imbutus moribus, etiam multum legendo, scribendo, dicendo sese exercuerit, si institutus erit praeceptis, ex optimorum oratorum usu observatis atque collectis iisdemque aptissimis, quibus audientium animi doceantur, delectentur, moveantur, quantus ille erit orator? Hic certe omnium sententiis eloquens, hic vere perfectus orator summo jure appellabitur, aut nullus umquam erit. — Jam fac perfectum illum oratorem venire in medios homines feros barbarosque, atque ab omni humano cultu alienos; fac eum degere in civitatibus constitutis, fac eum versari in curia et in foro: quis dubitet, quin tam validus tamque potens ejus futurus sit sermo, ut non temere sperentur laeti illi fructus, quos tam

magnificos de vera oratoris facultate Antonius Crassusque praedicarunt? Cum res rerumque causas optime noverit, optima quaeque et utilissima dilucide docebit, firmissime demonstrabit; cum sit vir bonus atque talis omnino, qualis videri cupiat, facile omnium animos delectabit, conciliabit, sibique devinciet; cum omnia voluntatum momenta perdidicerit, cunctos ad assensum permovebit. Jam quis, quaeso, aptior excogitari potest, qui praesit hominibus iisque persuadeat ut civitates condant, conservent, excolant legibus, ut virtutes sectentur, fugiant vitia, puniant improbos, servent bonos?

Haec perfecti oratoris species in Ciceronis mente insidebat, non modo cum eam postea in suo »Oratore" adumbrare atque depingere conaretur, sed jam tum, cum hisce sermonibus viam et iter ad perfectam eloquentiam monstraret. Quam enim saepe monet, non de oratore quolibet sed de perfecto oratore se quaerere: et cum Antonium et Crassum praesagientes faceret, fore aliquem aliquando, qui esset omnibus numeris absolutus orator, non potius, opinor, de se ipso cogitavit, quam de ea oratoris forma, quam etiam in Oratore animo se cernere ajebat, ipsa re vidisse negabat.

Sicut autem vera eloquentia Ciceronis judicio erat »vis, quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia explicat," sive ut apertius etiam, in Partitionibus Oratoriis: »copiose loquens sapientia;" ita philosophiam sine eloquentia mendicam esse dicebat, et perfectum oratorem eo philosophis omnibus praestare, quod ad omnem illorum scientiam artem adderet suam.

Sic igitur intelligitur, quid sit, cur perfectum philosophum a perfecto oratore tam parum distare censeat, ut iisdem lau-

dibus, atque iisdem pene verbis, quibus in hisce libris ornatur eloquentia, postea philosophiam quoque extulerit: »O vitae philosophia dux, inquit, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid non modo nos sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti." [1])

Quae quidem magnifica praedicatio etiam illo loco omnino ad eum refertur philosophum, qui sit simul »doctus orator": nam in prima disputatione monuerat: »Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere." [2])Neque illud mirum. Romanis enim parum placebant illi, qui in disciplinis, aut artibus obscurioribus ita vitam consumerent, ut a negotiis abhorrentes nulla ratione prodessent rei publicae; imperfecta atque parvi pretii videbantur eorum omnium studia, qui non ad vitam ea dirigebant. Quare animose Cicero in libro, qui inscriptus est Hortensius. »Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus." [3]) Atque in libro De Officiis: — ut paucis aliunde petitis Ciceronis mentem illustremus — »Eloqui copiose, inquit, modo prudenter melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare, quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate juncti

1) Tusc. l. V. 5.
2) Tusc. l. I. 7.
3) Hort. fr. 41.

sumus;" [1]) multumque ibidem disputat in hanc sententiam: cogitationem contemplationemque rerum naturae mancam quodammodo atque inchoatam esse, si nulla actio consequatur: actionem autem eam in hominum commodis tuendis maxime cerni; hanc igitur cognitionem, quae ad societatem generis humani pertineat, ceteris anteponendam esse. Ideo deploravit absurdum illud discidium linguae atque cordis; ideo conquestus est separatione partium magnitudines artium esse deminutas. Censebat enim. omnium artium et disciplinarum maximam esse dignitatem, ubi oratoris voci subserviendo ad hominum utilitatem conferrent; eloquentiae jure, a majoribus esse in toga dignitatis principatum datum; neque quicquam illa »esse praestabilius vel admiratione audientium vel spe indigentium vel eorum, qui defensi essent gratia." [2])

Expertus quippe noverat, ad capessendam rem publicam nihil tantum valere quantum oratoris facultas; nec rectorem rei publicae volebat ullum, nisi qui esset vir summus et doctissimus, idemque et sapiens et justus et temperans et eloquens. Haec enim »in Politia sua" scripsisse fertur. [3]) Prospicere autem rei publicae omniumque civium saluti, ei semper visum est omnium officiorum praestantissimum. »Neque enim" est ulla res, ait vere ille Romanus, »in qua propius ad deorum nomen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas ant conservare jam conditas." [4])

Quid ergo? Itane perfectam oratoris speciem hisce libris

---

1) De Off. I. 153. sqq.
2) Ibid. II. 66.
3) Vid. de Rep. l VI. 1. (ed. Baiter et Halm.)
4) De Rep. l. I. 12.

consectatur, ut ea jubeat sequi, quae assequi nemo posuit? Nequaquam; perpetuo enim significat, quid in oratoris institutione sit perfectionis, quid necessitatis; et quamvis hanc oratoris praestantiam arduam et excelsam esse ostendat: ut tamen eam aliquatenus adumbres, ut satis bonus fias orator, id modo bonis eatur viis, non admodum difficile esse probat. Etiamsi conatus nostros ad summum non sint perventuri, magni tamen pretii fore: — multis enim rationibus et praeclaris exemplis demonstrat, quam sit illud in oratoris studio verum »Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere" — atque »in praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima."

Quae cum ita sint, quid, quaeso, jure in ea Ciceronis vituperabimus sententia? Utrum quod per eloquentiam sive per oratoris vocem sapientium studia ad salutem hominum utilitatemque volebat directa? At omni quidem tempore magna fuit vis eloquentiae; nec attinet ostendere multum eos semper ad populorum salutem valuisse probos viros, qui »sapientia" illa »copiose loquenti" excellerent: semper autem illos cogitabat oratores Cicero, qui essent viri boni. »Si probitatis, inquit, et prudentiae expertibus dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quasdam arma dederimus." [1]) Romani vero, qui eruditionem et doctrinam suam ad bonum publicam cupiebant conferre, eam facultatem nisi in causarum defensione et in rei publicae administratione vix inveniebant; »docere enim quasi in ludo dignitatem non habebat"; [2]) ad causas defendendas

1) De Or. III. 55.
2) Or. 144.

autem remque publicam administrandam eloquentia tum aditum comparabat, tum vires facultatemque praebebat. Neque tamen illam solam eloquentiam, quae in judiciis et senatu et contionibus viget, ceteris artibus praeponit Tullius: sublato etiam foro et curia, ad ea munera quibus civibus consuli posse putet, oratoris artem postulat; historiam quoque et alios libros, in quibus artis praecepta tradantur, composita et ornata oratione vult conscribi: ne aridi sint, ne agrestes, sed suavitate pleni et omni ex parte probabiles. »Nobis autem videtur, inquit idem in Tusculanis, quicquid litteris mandetur id commendari omnium eruditorum lectioni decere." [1])

An vero illud reprehendemus, quod omnino summas artes et disciplinas ad utilitatem hominum volebat directas, quod cognitionem eorum, quae ad societatem et conjunctionem hominum attinent, ceteris anteponebat — quod in scientiae cupiditate non magis notabat hoc vitium »ne incognita pro cognitis habeamus", quam illud alterum; »quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias? [2]) — - Fateor equidem me hisce Tullianis sententiis non vehementer assentiri non posse. Eorum enim studia, qui ita in litteras aut alias disciplinas obscuriores se abdunt, ut nihil ex eis neque ad communem afferant fructum, neque in adspectum proferant; aut si quid proferant, ea edant, quae scire nullius jam intersit, parum hercle probari possunt.

Gaudent sane omnes verae humanitatis amici de laetis

1) Tusc. l. II. 8.
2) De Off. I. 18.

incrementis, quibus haec maxime aetas, et ceteras disciplinas et nostra auxerit studia; admiramur quaecumque in medicorum, aut physicorum aut mathematicorum artibus studiose quaesita, atque ingeniose inventa, hominum utilitati sunt applicata. Atque, ut solis nostris litteris nos contineamus, summe laetamur, quod doctorum virorum perspicientia sollertiaque multae maculae sunt abstersae, multae caligines sunt discussae, quibus Graecorum Romanorumque praeclara opera foedata erant atque offusa. Quanto melius, post F. A. Wolf, cujus aureus libellus, innumerabilium criticorum operum procreator et quasi parens, modo centesimum explevit aetatis annum: — quanto melius, inquam, nunc cognita sunt antiquorum leges, mores, instituta; quanto locupletior et fide dignior facta est »testis illa temporum ac vitae magistra", post tot libros, lapides, documenta, summo studio summaque prudentia quaesita, collecta, explicata! Verum ideo de hisce omnibus gaudemus: quia paratiores praebuerunt vias, quibus juvenes ceterique litterarum amici amoenissimas illas quasi regiones adire et perlustrare possint. Propterea enim antiquorum litteras colimus, quia hoc humanitatis genere relaxari, excoli et supra vulgaria et quotidiana negotia nos attolli sentimus; quia sententiis illis prudentissimis venusto egregioque sermone enuntiatis reficimur et recreamur; quia, si Divinarum et coelestium rerum contemplationem et amorem excipimus, vix ulla apparet voluptas homine dignior ea, quae ex pulchritudine in operibus artis percipitur. Qui vero omnes curas suas consumunt in emendatione et interpretatione eorum librorum, qui indigni sunt, ut a quopiam legantur, aut acerrime investigant quae vel sciri non possint, vel quorum cognitio nemini

utilitati voluptative esse possit: hosce libenter ad lucem, ad utilitatem hominum, ad institutionem puerorum, ad vitam publicam cum Cicerone revocare velimus. — »Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus!"

Sed redeat oratio eo unde aberravit. Perpensis rationibus, quibus sapientiae possessio oratori commendetur, conformationem totius operis, si placet, paulisper respiciamus. Eo instructu ornatuque est haec disputatio concinnata, ut non magis accurata explanatio quam egregia suasio dici possit. Nam »suadere, inquiunt, aliquid aut dissuadere gravissimae est personae." [1]) Jam sive consideramus ea, quae quasi in scena aguntur, sive in personis fabulae semper spectamus ipsum scriptorem tantum, auctorem habemus illius sententiae aptissimum ad fidem faciendam. Habemus Antonium et Crassum summos oratores, viros bonos, vel potius habemus ipsum »disertissimum Romuli nepotem." Non sane ad inepti cujusdam Phormionis, neque ad Coracis aut Tisiae sermones tibi admovendae sunt aures: sentimus eos praestantes esse iis omnibus, quae docere et commendare volunt. Doctrina egregia quid valeat ad dicendum, non magis rationibus probant, quam vitae exemplis quasi oculis subjiciunt. Quam praeclara litterarum humanarum cognitione omnium sermones excellunt! Admiramur breve et intelligens et acutum illud de Graecorum historicis et oratoribus judicium, quod tum Crassi, tum Antonii voce profertur. De philosophorum autem familiis doctrinisque haud leviter instructi

---

1) Cfr. de Or. II. 333.

apparent; ac prudentissima certe ea est investigatio, quae scholae sint magis oratori conjunctae. Juris autem scientiae sive civilis sive publici, quam sint periti, clarissimarum causarum commemoratio demonstrat. Atque ipse ille sermo, quo Antonius multarum rerum scientiam a dicentis studio removet, quorsum tendit? Pro magna illa eruditione atque copiosa doctrina, qua haec oratio excellit, vehementer nos commonet, ne, si quando bonos oratores invenerimus, qui rerum scientiam artesque liberales contemnere videantur, facile credamus eos rudes esse earum rerum, quarum studium et cognitionem dissimulent.

Quale autem ornatus genus magis attentos reddit audientes et dociles, quam mira illa morum comitas et eximia urbanitas, quibus singuli in hoc humanissimo coetu distinguuntur? Gravitas illa et maturitas in Crasso, ardor virilisque alacritas in Antonio, scientia autem permagna in utroque et amor studii sui sine ulla arrogantia; severitas in Scaevola comitate condita, Sulpicii autem et Cottae discendi cupiditas et decora modestia; festivitas et lepores in Caesare, — quam suaviter nos afficiunt, quam venusta varietate totam collocutionem exhilarant? Omnes timidi quodammodo et quasi inviti ad aridiores partes aggrediuntur: τεχνικά praecepta et tarde suscipiunt, et flosculis exornant, et celerrime percurrunt. Malunt in amoenioribus versari: modo in media Graecia, inter artium antistites commoramur, modo in foro Romano celeberrimas causas publicas privatasque quasi coram agi cernimus.

Quod si haec omnia nos tantopere oblectant atque devinciunt, quam grata putas Romanis ea fuisse, quibus potissimum Cicero scribebat?

Sed quoniam diximus de »omni quidem sapientia", quae ut vindicetur oratori, maxime »hujus instituti atque temporis esse", Cicero significat; paucis etiam attingamus qua ratione ipsam »dicendi doctrinam" hisce libris tractaverit.

Quod attinet ad propria artis praecepta: universe praecepta illa communia, ex graeco fonte derivata, confirmat sua auctoritate, ita tamen, ut nimiam diligentiam in divisionibus minutioribus vituperet, ut quasdam partes magis commendet, ut vulgata quaedam aut corrigat aut diligentius explicet, ut haud pauca de suo addat. Sed haec, quae supra paucis indicavimus, fusius persequi nostri instituti non est, cum potius summam sententiam horum librorum commentandam susceperimus, ipse autem Cicero quae praecepta sibi maxime probentur, accuratius in Partitionibus Oratoriis exposuerit, doctrinam vero suam de elocutionis elegantia, de oratorio numero deque verborum comprehensione in libro »Orator" latius explicarit. Potius igitur notemus, quid de natura et utilitate artis senserit.

Sapientissime, ut videtur, inter eos, qui rhetorum more dicendi arti omnia tribuebant, eosque, qui eandem aut prodesse aut omnino esse negabant, mediam quamdam viam iniit. Revocavit antiquam illam veramque divisionem inter *τέχνας* et *ἐπιστήμας*, quam et recentiores, et nostri quoque aequales studiose retinent; quippe quorum judicio aliud sit scientia, aliud est ars, — cum Latini utriusque generis disciplinas communi artium nomine comprehenderent confunderentque. Largitur ergo artem oratoris esse nullam si hoc nomine intelligatur disciplina »quae cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et numquam fallentibus rebus continetur." [1]) Nec injuria. Nam ut de eloquentia, quae est dicendi

1) De Or. I. 108.

facultas ad persuadendum accomodata, vera ἐπιστήμη existat, componendum erit systema aliquod doctrinae, in quo ex intima cognitione ingeniorum, affectuum morumque humanorum colligatur, quibus sententiis, quibus, verbis, qua actione, varia hominum genera in variis adjunctis aptissime edoceantur, delectentur, commoveantur: quod nemo adhuc fecit, et nescio an longe excedat humanam intelligentiam.

Sed illam dicendi artem tuetur, quae sit τέχνη, sive, ut cum Cornificio loquamur, »praeceptio, quae dat certam viam rationemque faciendi." Quae cum a natura profecta sit, complectitur ea, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, quae ab hominibus callidis ac peritis sunt animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa. De vi autem et utilitate hujusmodi disciplinae haec est ejus sententia: quamquam ipsa per se neminem faciat eloquentem, et sint alia quaedam ad consequendam eloquentiam majora, possitque fieri, ut quis sine ipsa bene dicat, (neque enim eloquentia ex artificio sed ars est ex eloquentia nata) esse tamen haud inutilem, esse tamen ad cognoscendum haud illiberalem. Cum enim natura, studio, exercitatione consequimur, quid dicamus: artem indicare, ubi quaeramus et qua via tutissime possimus incedere. »Studia enim, inquit, nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque cognoris".

Apparuit, ni fallor, consilium horum librorum rectissime a Cicerone significatum esse, cum diceret: »Illud est hujus instituti atque temporis neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse." Utrumque enim oratori vindicatum est; et quamvis doctrinis et disciplinis quasi prio-

res sint partes attributae, simul tamen effectum est, verum non esse »quod Socrates dicere solebat, omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes" — sed »illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque, si optime sciat ignarusque sit faciendae ac poliendae orationis, diserte id ipsum de quo sciat, posse dicere." [1])

1) De Or. I. 63.

III.

DE FONTIBUS ET EXEMPLARIBUS HORUM LIBRORUM QUÆDAM ANNOTANTUR.

Inquirenti de auctoribus, quos sibi scriptor aliquis in suis libris componendis velut exempla ad imitandum proposuerit, nihil tam facile est, quam longum locorum sententiarumque indicem contexere, quae sint pluribus scriptoribus communia. Nemo enim plura variorum scriptorum opera, quae in eadem similive materia versantur, studiose inter se contulerit, quin mirabilem quandam, sive in sententiis, sive in factis quae narrantur, sive in eloquendi modo consensionem et convenientiam reperiat. At majoris prudentiae est ex locis similibus quos notaveris, certam quandam scriptorum cognationem exhibere; facile enim contingit, ut multa ex aliquo fonte derivata aut mutuo inter se accepta esse statuas, quae scriptores plures aut per se ipsi excogitaverint, aut ex communi opinione sumpserint. Quae res quam sit anceps, statim apparet, si omissis illis scriptoribus, qui aequales civesque fuerunt, aut quos aliquomodo suspiceris alium ex alio pendere,

ad eorum opera conferenda aggrediaris, qui máxime diversis aetatibus aut regionibus floruerint: illos quoque, quos inter sese non novisse constat, in multis convenire reperies.

Neque est quod miremur; sunt enim multa in historia gesta dictaque, de quibus longe per orbem fama percrebruit; multa sunt aeternae legis praecepta, multa in rerum natura observata, quae omnibus, natura magistra, innotescunt; multae etiam res, quae in hac universitate auribus oculisve percipiuntur, quasi sua sponte sese offerunt tamquam imagines et figuras tum animi motuum, quos experimur omnes, tum aliarum rerum a sensibus remotarum, quas dicendo exprimere volumus. Ut arduum est, — nam de poëtis oratoribusque nihil dicam — de historicorum cognatione recte judicare! Litigant viri docti, ut exemplo utar notissimo, de sententiis rebusque gestis Galbae et Othonis, quae a Tacito et Plutarcho subsimili modo referuntur: uter ab altero sumpserit, an potius uterque ex vulgata aequalium opinione hauserit. Quod autem in omni litterarum regno sedulo cavendum est, ne statim propter aliquas ὁμοιότητας statuamus duos scriptores inter sese dependere, id vel maxime in hac regione, in qua modo versamur, est vitandum; magnum est enim aberrandi periculum, ubi de illa cognatione agitur, qua plurium disputationes de arte quadam aut facultate humana inter se cohaereant. Quo magis enim artes ab ipsa natura sunt ortae et natura duce excoluntur, eo plura habent praecepta et placita, quae omnibus, qui prudenter judicant, probentur: quid ergo, ubi de eloquentia agitur, quae sit una omnium latissime inter homines divulgata?

Jam in hac disputatiuncula non singularum sententiarum aut dicendi figurarum exemplaria perquirere in animo

est; neque operam dabo ut omnes omnino afferam auctores, quibus forte minima quaedam horum sermonum debeantur. Metuo, ingenue fateor, ne incurram in vituperationes similes illis, quibus nuper tam festive exagitati sunt isti syllaborum aucupes, qui ex brevissimo commate »I puer" aut ex usu vocis »pyramidae", nescio quam duorum poëtarum necessitudinem collegerant — ceterum securi, uter venustior esset vates, uter fervidior, uter numerosior. Reddunt nos aliena periculum cautum: praesertim cum sine magno detrimento, nisi fallor, a minuta illa diligentia abstinere liceat. — Quid, quaeso, attinet in singulis locis accurate scire, quis quid prius dixerit? Sit nefas in severioribus disciplinis ingeniose inventa referre, nisi religiose indicaveris, quis primus eorum auctor fuerit: esto, non repugno; sit suus cuique honor. Sed in litteris humanis alia agimus; non quis dixerit, sed quid dicatur attendimus. Quid hercle interest ad relaxationem et oblectamentum animi, ad culturam ingenii, ad ipsam illam humanitatem, quam litteras colendo quaerimus, — quaecumque sapienter lepideve sunt dicta, ac dicendi flores omnes et figuras religiose suis auctoribus tribui?

Quasi vero ad praestantiam et pulchritudinem operis aut ad Ciceronis laudes multum pertineat, utrum plura an pauciora aliunde deprompta conjunxerit! Sane antiqui non ita sentiebant. Illi optimorum scriptorum opera tamquam thesauros habebant ita sepositos in utilitatem communem, ut non minore laude dignus videretur, qui illos multa arte in suum usum converteret, quam qui primus ignota indictaque de suo promeret. Neque in artis operibus aestimandis ea mensura auctoris laudem metiebantur, ut curiose inquirerent

essentne partes singulae ab ipso artifice excogitatae, effectae, productae. Libere gloriabatur Aeschylus suas tragoedias esse *τεμάχη τῶν μεγάλων Ὁμηρικῶν δείπνων*, ingenue profitebatur Terentius se totum pendere ex Menandro et Apollodoro; neque aut Catullus aut Horatius ullo pacto dissimulare conabantur, quantopere Sapphonem Alcaeum Alcmana imitarentur. Non poenitebat, quod plena manu hausisse viderentur ex praeclaris operibus, quae veluti fontes uberrimos summi ante se homines reliquissent, quod venustissima quaeque apium more modoque undique collegisse dicerentur, dummodo summa operis conformatio ut ipsorum propria ab omnibus agnosceretur. Et illi quidem, opinor, recte. Nam in singulis partibus sine reprehensione elaborare vel mediocris est ingenii; sed totum ponere posse, hoc demum artificem ab operario secernit.

Quid? Estne major laus architecti, qui in aedibus exstruendis singulos lapides, singula ornamenta ipse delineaverit, ipse sculpserit, quam ejus qui lapides redivivos, qui praestantia aliorum caelamina egregia arte in perfectum absolutumque quoddam opus conjunxerit? Dementis est antiquas aedes disturbare, ut accurate discas, cujus lapidarii signo sint singuli lapides notati. At, cum in marmoreis porticibus ambulans superba laquearia et columnarum elegantiam admiraris, et dein alias exstructiones tibi in mentem revocans, tecum reputas, quam prudenter, quamque venuste eorum lineamenta et ornatus varios architecta usurpaverit et conjunxerit aut etiam emendaverit ad hoc suum opus concinnandum, id demum magnopere animi oblectationem auget. Sic etiam cum in litteris humanis praeclarum quoddam artificium contemplamur, ut omnem ejus praestan-

tiam pernoscamus penitius, eademque majore cum animi voluptate perfruamur: egregie juvat excellentium quorundam operum memoriam repetere, quae sive ad imitandum sive ad corrigendum sive ad refellendum scriptor antiquus in mente habuisse videatur.

Omissa igitur quaestione, quae forte in libris de Oratore aut Hermogeni aut Hermagorae aut Paeoenio debeantur, quorum opera, vetustate deperdita, tantummodo ex ipsius Ciceronis libris aliquatenus restitui possunt, haud inutile visum est nobilissimos aliquos excitare scriptores, ex quibus hae Tullianae disputationes manifeste pendent. Quinam ergo nobis adeundi erunt? Audiamus quid Lentulo suo scripserit ipse Tullius.

»Scripsi etiam — nam etiam ab orationibus dijungo me fere referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime sicut jam a prima adolescentia delectarunt — scripsi igitur *Aristotelio more*, quaemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a communibus praeceptis atque omnem antiquorum *et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam* complectuntur." [1])

Itaque de imitatione Tulliana quaerentes primum Aristotelem et Isocratem, magistros sane nobilissimos, adire debemus. Sed, ut prius de Isocrate dicamus, haud ita facile est hujus quae dicitur »rationem oratoriam" indicare. Scripsit ille quidem aliquam τέχνην, — id Aristotelis testimonio constat — quae tamen mox interiisse videtur. Ciceroni enim, cum commentaria sua de Inventione scribebat, Isocratis ars

1) Ac fam. I. 9. § 23.

certe praesto non erat. »Isocratis, inquit, quam constet esse artem non invenimus"; [1]) atque parum verisimile est eam postea a Cicerone fuisse repertam. Plutarchus enim de ea fando tantum audiverat, Quintilianus vero quodam loco Isocratis opinionem afferens: »si tamen, inquit, revera Ars quae circumfertur ejus est." [2]) — Quid igitur sibi vult, quod profitetur Cicero: se Isocratiam rationem omnem complecti?

Nempe illud significat, nisi omnia fallunt: se ea, quae Isocratis nomine in aliqua rhetorum schola tradebantur praecepta, suis libris comprehendisse. Nam eodem ipsi loco: »Discipulorum autem, inquit, atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus." [3]) Quae vero hujus disciplinae praecepta maxime assumpserit Tullius, ex laudibus quibus Isocratem ornare solet, facile colligitur. »Hic primus, ita ait in libro qui dicitur Orator, instituit dilatare verbis et mollioribus numeris explere sententias." [4]) Ac rursus in Bruto: »Primus intellexit etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari." [5]) — Itemque in illis libris, de quibus nunc disputamus: »Princeps Isocrates instituisse fertur ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa numeris astringeret." [6]) Ita igitur »Isocratiam rationem" complexus est Cicero, ut non modo in his libris sed magis etiam in

1) De Inv. l. II. 7. cf. Plut vit. Isocr. § 32. — Aristot. fr. 133 (ed. Berol.)
2) Quint. l. II. 15. § 4.
3) De Inv. l. c.
4) Or. 40.
5) Brut. 31.
6) De Or. 3. 173.

illo libro, qui »Orator" inscribitur, primus Romanorum de numero oratorio dissereret. Cum tamen Isocratis ars jam nunc non exstet, neque Ciceroni ejus videndi copia fuisse videatur, qui accuratius volet pervestigare, quae praecepta Cicero pro conformatione comprehensionum et sententiarum ex illius disciplina assumpserit, ipsas orationes Isocratis cum elocutionis doctrina, quae libris »de Oratore" continetur, comparare debebit. Certum est enim Ciceronem Isocratis orationibus, maxime libro ad Philippum et Panegyrico et Panathenaico permultum tribuisse. [1]) Sed pro instituto nostro haec pauca de Isocrate attigisse, satis esse ducimus: jamque ad Aristotelem, si placet, nos convertamus.

Haud enim obscurum est, universam doctrinam horum librorum magnopere pendere ex scriptis Stagiritae. Neque illud mirum. Saepissime enim in omnibus Ciceronis et rhetoricis et philosophicis commentationibus, magna cum laude appellatur Aristoteles. Velut in libris de Finibus: »Aristoteles, inquit, quem excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum;" [2]) atque, ut etiam ex libris de Oratore statim aliquem locum afferam: »Aristoteles, inquit, is quem ego maxime admiror" [3]). Non fugiebat enim Aristotelem primum post »discidium illud linguae atque cordis", cum censeret »turpe sibi esse tacere cum Isocratem pateretur dicere", disciplinae forma repente immutata, ornasse et illustrasse doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxisse. [4]) Qui non

1) Cf. Or. 38, 176.
2) De Fin. V. 3.
3) De Or. II. 152.
4) De Or. III. 141.

modo universam philosophiam suis scriptis complexus est, sed dicendi quoque artem ita tractavit, ut omnes, quae ante ipsum conscriptæ sunt artes, oblivioni sint datae et prorsus deperditae.

Redeamus igitur ad verba modo allata, quibus ipse Tullius brevissime indicat, quaenam ratio inter hosce libros et Aristotelis opera intercedat. »Scripsi, inquit, Aristotelio more": id est, opinor, in scribendi modo ac dialogorum forma, Aristotelem imitatus est; non certe Aristotelem illum pressum et brevem et obscuram et impolitum, qualem nos eum ex commentariis cognoscimus illis, qui soli sunt superstites, sed »eloquentem et in dicendo suavem et ornatum" [1]) qualis erat, Tullio teste, in dialogis sive libris illis, quos in V libro de Finibus »populariter scriptos et ἐξωτερικούς" appellat Cicero. In quibus dubium non est, quin potissimum sit versatus, cum libros interiores et reconditos illius philosophi, quos ut, ait in Topicis, [2]) non modo rhetores sed etiam ipsi philosophi praeter admodum paucos ignorabant, multo minus videtur attigisse.

Cum autem diuturnitas temporis nobis omnia illa opera perpolita atque perfecta surripuerit, accuratius statui non potest, quatenus Tullii sermones stylo conformationeque sua dialogos principis Peripateticorum imitentur. Equidem nescio, quo jure Schanzius [3]) dialogorum formam Aristotelicam magis quam Platonicam esse contendat. Quamquam enim Ciceronis testimonio constat, eum hac in re Aristotelis

---

1) De Or. I. 49.
2) Top. § 3.
3) Ges. d. Röm. lit. p. 232.

vestigiis insistere, quod in singulis libris utatur prooemiis:[1]) aeque tamen certum est, quod nullas in sermonibus partes sibi ipsi tribuat, id ab Aristotelis more abhorrere. Scribit enim in quadam epistola ad Quintum. »Ab Aristotele sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus" [2]) Sed difficile est plura de forma ac ratione illorum sermonum statuere: breviora sunt enim fragmenta, quae supersunt, quam e quibus quicquam effici possit.

Minus obscurum est alterum illud, quod scripsit Lentulo: »libri nostri omnem Aristoteliam rationem oratoriam complectuntur." Nimirum ne quis forte putaret, Ciceronem omnem illam rationem non in magistri libris ipsum legisse, sed ex disputationibus eorum, qui ab illo essent philosophi accepisse: non solum saepius Aristotelis artem expresso nomine commemoravit, sed per personam Antonii nos monuit se legisse illum librum Aristotelis, »in quo dicendi artes omnium superiorum exposuisset," et illos, »in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixisset." Legerat igitur Cicero et *τεχνῶν συναγωγήν* et *τέχνην ῥητορικήν*. Ex quibus libris cum alter sit deperditus, nobis unum tantum, qui *τέχνη ῥητορική* inscribitur adire et conferre licebit.

Porro haec est illius operis divisio, ut duo priores libri versentur in probationibus, tertius vero, — sive est illorum complementum, sive, ut multi nunc volunt, fuit olim opus separatum — de elocutione deque partibus orationis disponendis agat. Ex quo factum est, ut prior pars II[i] libri de Oratore responderet duobus prioribus Aristotelis libris; altera autem pars ejusdem libri et liber III ea tractarent, quae tertio

1) ad Q. fr. III. 5. 2) ad Att. XIII. 19.

Aristotelis libro continentur. Primus enim Ciceronis liber τεχνολογίαν fere non habet. Multa prudenter observata sapienterque monita, quae in vulgata rhetoricorum doctrina evanuerant, ex Aristotele Cicero repetivit: sic, ut exemplum afferam, monet uterque, attentum facere auditorem et docilem non principii magis proprium esse quam reliquarum partium.[1]) Sic neutri probatur, quod vulgo jubent, oratorem brevem esse in narrando,[2]) et plura id genus. Quos locos et longum est omnes enumerare, et ad unum omnes in vulgatissima horum librorum editione Pideritiana diligenter notatos reperire quisque potest. Nobis autem potius ea consideratione digna videntur, quae ad propriam doctrinam horum librorum pertinent.

Nec multis verbis opus erit, ut magnam inter utriusque sententiam indicemus consentionem. De rerum cognitione enim, quae in oratore postuletur, prorsus inter utrumque convenit. Placet Aristoteli rhetoricam, sive dicendi artem, constare ex scientia analytica, quam esse partem dialecticae, et ex scientia civili, quam versari circa mores. Ex hac autem de iis saltem causis, de quibus in concionibus deliberari solet, certas et fixas sententias oratorem habere necesse esse. Quae quidem argumenta ad quinque revocat: deliberandum enim esse de reditibus, de bello et pace, de finibus custodiendis, de iis quae importantur et exportantur, de legumlatione.[3]) Eadem continentur, nisi fallor, in juris scientia publici privatique, in antiquitatum historiae legum cognitione, quas Tullium tantopere oratori vidimus commendare.

1) De or. II. 323. — Arist. rhet. l. III. c. 14.
2) De or. II. 326. — Arist. rhet. l. III, c. 16.
3) Arist. rhet. l. I. c. 4. § 7. sqq.

Sententia quoque illa, quam de artis dicendi origine et utilitate protulit Cicero, cum a Platonis mente longius recedat, proprius accedere videtur ad eam, quam initio sui libri indicat Aristoteles. Negat enim ibi, dialecticam et rhetoricam ad certas definitasque scientias pertinere; quarum, cum versentur in iis, quae omnes homines quodammodo possint cognoscere, omnes etiam esse participes. Sed cum alii quasi fortuito dicant, alii ex quadam consuetudine, ideo observari posse, qui fiat, ut alii, — sive casu sive consuetudine quadam dicant — causas suas obtineant, alii minime: atque ita certam quamdam viam et rationem dicendi inveniri. — Discriminis autem inter causas finitas et quaestiones infinitas, quamquam Aristoteles nullam in sua Arte mentionem facit, videtur tamen in alio quodam libro Ciceroni ansam praebuisse, cur hic quaestionum infinitarum tractationem, quae a rhetoribus neglecta jacebat, magno opere oratoribus commendaret. Legimus enim apud Diogenem Laertium *Ἀριστοτέλης πρός θέσιν συνεγύμναζε τοὺς μαθητάς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπασκῶν.* [1])

Atque haec de imitatione Aristotelis: summa rei capita ita percurrimus, ut de Ciceronis auctoribus quaerentes, neque illa negligeremus, quae viderentur magnopere ad causam nostram pertinere, neque tamen, quae ab aliis accurate disputata sunt, denuo retexere videremur." [2]) Jam ille auctor excitandus est, cujus scripta, quanti fuerint momenti ad com-

---

1) l. V. 3. Cf. Quintil. XII. 2. 25. — cf. X. 5. 12.

2) vide Pideritii notas in libros de Oratore, et praeterea Jentsch: Aristotelis de arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero. Berol. 1866.

positionem conformationemque atque universam doctrinam horum librorum, nondum satis exploratum esse puto.

Aristotelem magni faciebat Cicero. Platonem autem supra omnes omnium aetatum philosophos solebat extollere. Hunc quasi quendam deum philosophorum [1]), virum doctissimum atque eundem gravissimum philosophorum omnium [2]), non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimum auctorem [3]) et magistrum non linguae solum, verum etiam animi et virtutis magistrum [4]) appellabat. Quid quod alio quodam loco »ex hoc, inquit, Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio"; [5]) atque etiam — cujus rei Plutarchus auctor est — dicere solebat Jovem, si Graece locutus esset, Platonis sermone usurum fuisse [6]). Non mirum igitur, quod in eadem epistola, in qua Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam sese complexum esse significat, aperte edicit »*se Platonem vehementer sequi auctorem.*"

Jam vero quis non videt, quam multa in hisce libris Platonis dialogis sint simillima? Platonicum est personas in scenam inducere ab initio usque ad exitum sibi egregie constantes; Platonicae sunt breves illae blandaeque collocutiones longioribus severioribusque sermonibus intermixtae tamquam pausae ad requiescendum datae. Platonicum est, eos, qui primas partes agunt, manifesto ipsius scriptoris tueri sen-

---

1) de Nat. D. II. 12. 32.
2) de Leg. II. 6. 14.
3) Orator. 3. 10.
4) de Orat. III. c. 34. § 139.
5) Tusc. V. § 12.
6) Plutarch. vit. Cic. c. 24.

tentiam. Est etiam, ubi Crassus vel ipsius Socratis mores in memoriam revocet. Nam quod dicitur Crassus in principio tertii libri »omne illud tempus meridianum in accerrima atque attentissima cogitatione posuisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumptas", simillimum est ejus, quod apud Potidaeam Socrati contigisse refert Alcibiades: *συννοήσας γὰρ αὐτόθι ἕωθέν τι εἱστήκει σκοπῶν, κἀπειδὴ οὐ προὐχώρει αὐτῷ, οὐκ ἀνίει, ἀλλ' εἱστήκει ζητῶν. καὶ ἤδη ἦν μεσημβρία, καὶ ἄνθρωποι ᾐσθάνοντο, καὶ θαυμάζοντες ἄλλος ἄλλῳ ἔλεγον, ὅτι Σωκράτης ἐξ ἑωθινοῦ φροντίζων τι ἕστηκε.* [1])

Neque latere jam nos potest, scenam primi sermonis ex Platonis Phaedro desumptam esse, — conclusionem autem totius operis, quae in laudibus Hortensii versatur, imitari ejusdem Phaedri ultimam paginam, eandem quam postea Cicero in libro »Orator" ad verbum Latine interpretatus est. [2])

Sed accuratius indagantibus, qui sint dialogi Platonis, ad quorum memoriam maxime hac lectione revocemur; tres nobis videntur esse Platonici libri, quos haud dubia conjectura affirmari possit, Ciceroni cum haec scriberet ob animum esse versatos: Gorgias, Phaedrus et Civitas. Notum est in Ciceronis libris de Reipublica et de Officiis multa ad exemplum *πολιτείας* adumbrata esse, — ejusdemque initium in lepidissimo libello de Senectute, egregie auctum et quasi dilatatum inveniri; ex Phaedro quoque et Oratorem et Disputationes Tusculanas permultos locos referre. Sed, quantopere ex tribus illis libris disputationes »de Oratore" pendeant, operae pretium videtur accuratius expendere, cum

---

1) De Or. III. 17. Conv. 220 C.
2) Or. 41.

non modo singuli nec semel in de Oratore expresso nomine laudentur, sed videantur multo majores in compositione horum sermonum partes habuisse, quam vulgo creditur.

Incipiamus jam a Gorgia; cujus argumentum intima est cum Ciceronis opere cognatione conjunctum. Nam ut statim recordemur, quae sit quaestio, quae hoc sermone agitetur, audiamus, si placet, hominem de Platonicis studiis optime meritum. »Vix", inquit Bonitzius, »dubitari potest, quin consilium et caput totius dialogi exprimatur illa quaestione, de qua cum Callicle disceptat Socrates: sitne philosophia ad mentem Platonis, an vero rhetorica politica, qualis tunc erat, dignum homine studium. [1]) Priores enim sermones, qui a Socrate cum Gorgia et Polo instituuntur, nihil aliud sibi volunt, quam viam muniunt quodammodo ad illam sententiam, quae tertio sermone ab eodem pronunciatur: sapienti, oratoris officio spreto, in philosophiam esse incumbendum. Omnia enim, quae sive primo sermone de definitione et ambitu rhetorices deque ejus cum scientia necessitudine, sive altero sermone de fine, utilitate, honestate oratoriae facultatis disputantur, — eo spectant, ut in tertia collocutione concludatur: indignum esse sophistarum more rempublicam capessere et orationibus operam navare; sed omnino philosophandum esse more Socratico, non enim voluptate sed honestate bonorum fines contineri. Quod cum esset propositum omne illius dialogi: haud temere profecto Crassus in principio I[i] libri de Oratore, ubi Scaevolam, de ambitu et dignitate eloquentiae detrahentem audit, statim Platonem »harum disputationum inventorem et principem" profert:

1) Bonitz Plat. Stud. p. 33. cfr. Gorg. p. 500.

»Cujus, inquit, tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam [1]), quo in libro hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur." — Magna enim diligentia Crassum vel potius Ciceronem illum librum legisse, nihil opus est propter ejus testimonium credere: comparatio utriusque libri clarissime ostendit.

Jam cum iis, quibus Cicero rursus Platonis librum commemorat: — »hic (Leontinus Gorgias) in illo ipso Platonis libro de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocetur, se copiosissime dicturum esse profitetur", quisque statim conferet illud Platonis: »*ἐκέλευέ γ' οὖν νῦν δὴ ἐρωτᾶν ὅτι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντ' ἔφη ἀποκρινεῖσθαι.*" [2]) Sed haec forte minora, illa vero majoris sunt ponderis. Cum magnifica illa eloquentiae praedicatione, a qua exorsus est Crassus, conferamus ea, quae de sua arte dicit Gorgias, qui, etsi non eodem orationis flumine neque eadem verborum copia eloquentiae laudes praedicat, — monitus est enim jam non semel, ut respondeat *κατὰ βραχὺ* — non minora tamen suae arti tribuit. Affirmat enim suam artem tractare *τὰ μέγιστα τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων, ὦ Σώκρατες, καὶ ἄριστα* [3]), interrogatusque, quid suae arti maximum tribuat: *ὅπερ ἐστίν, ὦ Σώκρατες, τῇ ἀληθείᾳ μέγιστον ἀγαθὸν καὶ αἴτιον ἅμα μὲν ἐλευθερίας αὐτοῖς τοῖς ἀνθρώποις, ἅμα δὲ τοῦ ἄλλων ἄρχειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει ἑκάστῳ.*

Rursus quaerente Socrate: *Τί οὖν δὴ τοῦτο λέγεις;* idem

1) De Or. I. 47.
2) De Or. III. 129. cfr. I. 103. — Gorg. P. 447 C. — De Fin. II. 1.
3) P. 451 D.

pergit: *Τὸ πείθειν ἔγωγ' οἷόν τ' εἶναι τοῖς λόγοις καὶ ἐν δικαστηρίῳ δικαστὰς καὶ ἐν βουλευτηρίῳ βουλευτὰς καὶ ἐν ἄλλῳ ξυλλόγῳ παντί, ὅστις ἂν πολιτικὸς ζύλλογος γίγνηται.* [1]) Jam vero haec simplicius atque brevius dicta amplifica aliquantulum atque auge — habebis fere Tulliana haec: »Quid, tam potens tamque magnificum quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti. Quid tam porro regium, tam liberale, tam magnificum quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate". — Atque illud etiam: »statuo perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem sed et privatorum plurimorum et universae rei publicae salutem maxime contineri."

Contradicit Socrates, qui est apud Platonem: videri sibi Gorgiam quasi *σκολιόν* quoddam cecinisse. Cur ita? »*ὅτι σοι αὐτίκ' ἂν παρασταῖεν οἱ δημιουργοί..... ἰατρός τε καὶ παιδοτρίβης καὶ χρηματιστής,* [2]) quippe qui accusarent Gorgiam, quod ea, quae ipsorum essent, oratori tribuisset. Neque aliter in eadem causa apud Ciceronem Scaevola: »Agerent tecum lege primum Pythagorici omnes ac Democritii ceterique sua in jure physici vindicarent. Urgerent praeterea philosophorum greges... missos facio mathematicos, grammaticos, musicos." — Percontanti autem Socrati de rebus, quae ad artem medicam, navalem, militarem, ad architecturam pertinent, nonne potius earum rerum periti audiri soleant quam oratores, respondet Gorgias: *οἱ ῥήτορές εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες καὶ*

1) P. 452 D. — De Or. I. 31. sqq.
2) P. 452 A. — De Or. I, 42.

οἱ νικῶντες τὰς γνώμας περὶ τούτων — quod exemplis ostendebat domesticis: *οἶσθα γάρ δήπου, ὅτι τὰ νεώρια ταῦτα καὶ τὰ τείχη τὰ Ἀθηναίων καὶ ἡ τῶν λιμένων κατασκευὴ ἐκ τῆς Θεμιστοκλέους συμβουλῆς γέγονε, τὰ δ' ἐκ τῆς Περικλέους, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς τῶν δημιουργῶν.* [1]) Itemque apud aegrotos orationem suam multo magis valere, ait, quam fratris sui medici.

Jam quid Scaevolam contra Crassus? »Neque si Philonem, inquit, illum *architectam*, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est architecti potius artificio disertum quam oratoris fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset *de navalium opere* dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades, is quo nos *medico* amicoque usi sumus, in eo ipso quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentia". Eadem ergo et Gorgias et Crassus oratori tribuunt: videamus quid differant.

Nam ita quidem Gorgias »*οὐ γάρ ἐστι περὶ ὅτου οὐκ ἂν πιθανώτερον εἴποι ὁ ῥητορικὸς ἢ ἄλλος ὁστισοῦν τῶν δημιουργῶν ἐν πλήθει,* [2]) nec multo aliter Crassus »Multo oratorem melius quam ipsos illos, quorum eae sint artes, esse dicturum." Sed ideo causa cadit et mox inconstantiae coarguitur Gorgias, quod, cum tot tantaque oratori sumpserit, rerum scientiam dein ab eodem plane removeat; assentitur enim plane Socrati dicenti. *Ὁ οὐκ εἰδὼς ἄρα τοῦ εἰδότος ἐν οὐκ εἰδόσι πιθανώτερος ἔσται.... αὐτὰ μὲν τὰ πράγματα*

---

1) P. 455 E, 456 A. — De Or. I. 62.
2) P. 456 C. — De Or. I. 65.

οὐδὲν δεῖ αὐτὸν εἰδέναι ὅπως ἔχει, μηχανὴν δέ τινα πειθοῦς εὑρηκέναι, ὥστε φαίνεσθαι τοῖς οὐκ εἰδόσι μᾶλλον εἰδέναι τῶν εἰδότων. 1) Crassus contra nequaquam consentit Scaevolae similia benigne concedenti. »Satis id est magnum, quod potes praestare: ut in judiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior et probabilior esse videatur; ut in contionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere videaris dicere." Sed quod oratori tribuerat, eidem ita vindicat, ut rerum scientiam quam amplissimam oratori adjungat: qui si non omnia per se complectatur, cognoscat saltem »ab iis qui tenent, quae sunt in quaque re." Nam vehementer haeret in eo: dicendi virtutem nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, extare non posse. — Atque: »Oratio, inquit, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est aut omnium irrisione ludatur." 2)

Itaque, quae causa jam a Gorgia sustineri non potuit, eadem a Crasso perfacile obtinetur. Negaverat quippe Gorgias rerum cognitionem oratori esse necessariam. Verum cum dein conveniret Socratem inter et Gorgiam, justum et aequum esse eum, qui quid honestum, quid turpe, quid justum injustumve esset, cognovisset; qui vero ea didicisset, injuste agere non posse: ne tamen eloquentia omni honestate carere videretur, Gorgias rursus eidem hanc justitiae cognitionem asseruit. Quare jam a Socrate manifestae inconstantiae coarguitur; idque eo magis, quod paullo ante concessisset, fieri posse ut orator sua arte injuste abuteretur.

---

1) Pag. 459 B, C, — De Or. I. 44.
2) De Or. I. 48, 50.

Quo quanto melius Crassus. Qui cum ab initio statuisset: »Nihil esse tam furiosum quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitum inanem, nulla subjecta scientia nec sententia;" nequaquam a se descivit, cum, commendatis juris historiae litterarum atque universae sapientiae studiis, affirmaret vel maxime »locum de vita et moribus totum esse oratori" perdiscendum. Neque minus consentanee in tertio libro defendit eloquentiam cum probitate jungendam esse summaque prudentia: »Quarum virtutum expertibus, inquit, si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus." Sic omnem reprehensionem fugit; atque quod satis impudenter Gorgias sibi arrogarat, — *Εἰ πάνια γ᾽ εἰδείης, ὦ Σώκρατες, ὅτι ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἁπάσας τὰς δυνάμεις συλλαβοῦσα ὑφ᾽ αὑτῇ ἔχει.* [1]) — idem ipse Scaevola jam ultro post Crassi defensionem concedit. »Id ipsum, inquit, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi quae ego vellem, non esse oratoris concederes et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres atque oratori propria traderes..... Tua autem fuit oratio ejus modi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministratices oratoris esse diceres."

Ostendimus, quam bene respondeat altercatio Crassum inter et Scaevolam primae illi disputationi, quae in Gorgia continetur. Neque in reliquis hujus dialogi partibus, quamvis maximam partem in subtiliore honestatis disceptatione versentur, desunt loci, qui Ciceronis menti obversati esse videantur. Statim ab initio alterius sermonis, Poli et Socratis, movetur

---

1) P. 456 B. — De Or. I. 74. sq.

quaestio, sitne aliqua ars dicendi, quod pernegat Socrates: *Οὐδεμία ἔμοιγε δοκεῖ, ὦ Πῶλε, ὥς γε πρὸς σὲ τἀληθῆ εἰρῆσθαι.* Quae sententia, deinceps fuse tractata, confirmatur hac praesertim ratione »*ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα ὧν προςφέρει ὁποῖ' ἄττα τὴν φύσιν ἐστὶν, ὥςτε τὴν αἴτιαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν.*" [1]) — Illas enim solas humanas facultates, quae ad bonum et honestum dirigantur, causam et naturam earum rerum, in quibus occupentur intueri; dicendi autem facultatem nequaquam aequi bonique studium esse, sed »peritiam gratiae et voluptatis; [2]) peritiam autem gratiae et voluptatis *ἀλόγως* omnino procedere »*τριβῇ καὶ ἐμπειρίᾳ, μνήμην μόνον σῳζομένην τοῦ εἰωθότος γίγνεσθαι*". Contra eam solam facultatem esse artem, quae: *τούτου οὗ θεραπεύει καὶ τὴν φύσιν ἔσκεπται καὶ τὴν αἰτίαν ὧν πράττει, καὶ λόγον ἔχει τούτων ἑκάστου δοῦναι.* [3]) Contendit igitur Socrates eam esse rationem artis, ut intime natura rerum causaeque cognoscantur: quare si sit aliquando aliqua dicendi facultas, quae prudenter boni et honesti sit studiosa — *προμήθειάν τιν' ἔχουσα τοῦ βελτίστου περὶ τὴν ψυχήν,* — quaeque id agat *ὅπως οἱ πολῖται ὡς βέλτιστοι ἔσονται διὰ τοὺς αὐτῶν λογους*: huic quidem artis nomen facile se largiri. [3]) Apparet quam cognata sint haec cum opinione Quintii, qui putat eloquentiam »in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam esse". Atque manifestum etiam est, unde derivata sit sententia, quae tribuitur Charmadae illi — quippe diligenter cum Crasso legit Gorgiam. »Saepe etiam in eam partem ferebatur oratione,

---

1) P. 462 B. — P. 465 A.

2) Sic enim Quintiliano l. II. 15. § 24. Latine reddere placuit, quod Graece erat scriptum (462 C.) *ἐμπειρία χάριτος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας.*

3) P. 501 A, B. — De Or. I. 5, 90, 92.

ut omnino disputaret nullam artem esse dicendi." Nec dissimiles sunt sententiae, quas Antonius quoque sese olim Athenis atque ex ipsius Charmadae doctrina reportasse significat: artem esse nullam, »nisi quae cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur."

Neque longius ab hac sententia recessit Crassus, cum concederet, vero quodam sensu artem dicendi esse nullam; sed Platonem deserit Aristotelisque sententiam amplectitur in eo, quod latiore quadam verbi significatione artis nomen largitur etiam iis praeceptis »quae observantur in usu ac tractatione dicendi, dummodo haec ab hominibus callidis fuerint, animadversa adnotata, verbis illustrata partibusque distributa."

Restat, ut consideremus eas, quae sunt apud utrumque scriptorem reprehensiones philosophiae. Affirmat enim sermonis initio Callicles »*φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν, ὦ Σώκρατες, χαρίεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ· ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων* [1]). Quae verba jam Pideritius adscripsit ad ea, quae Antonius, rogatus, cur philosophiae »sicut Zethus ille Pacuvianus" prope bellum indixisset, respondet — »Minime, ita ille, ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium: paucis, nam omnino haud placet. Sed tamen haec est mea sententia, quam videbar exposuisse: ego ista studia non improbo, moderata modo sint." — At non haec sola verba, sed totam hanc Calliclis disputationem conferre ju-

---

1) P. 484. C. — De Or. II. 156.

vabit cum illis rationibus, quas sibi videbatur Antonius »ante exposuisse."

Quid igitur Callicles? Nempe reformidat eam quae ex nimio philosophiae studio facile oriatur civibus perniciem: necesse enim esse eum, qui diutius in ea versetur, etiam si sit optimo ingenio praeditum »*πάντων ἄπειρον γεγονέναι, ὧν χρὴ ἔμπειρον εἶναι τὸν μέλλοντα καλὸν κἀγαθὸν καὶ εὐδόκιμον ἔσεσθαι ἄνδρα.* [1]) Imperitum fieri legum et rationum, quibus utendum sit in coetibus publicis privatisque, studiorum hominum morumque prorsus ignarum. Talem igitur virum, si quod negotium gerendum susceperit, non minus ridiculum fore, quam qui forte rerum civilium peritus philosophorum disputationes attigerit. Itaque *φιλοσοφίας μὲν, ὅσον παιδείας χάριν καλὸν μετέχειν, καὶ οὐκ αἰσχρὸν μειρακίῳ ὄντι φιλοσοφεῖν. ἐπειδὰν δ' ἤδη πρεσβύτερος ἔτι φιλοσοφῇ, καταγέλαστον.* [2]) Immo talis vel flagris dignum videri, ignavum enim et inertem et plane *ἄνανδρον* forum et urbem devitare: nihil unquam liberale et magnum proferre. Eodem ergo modo adversus Socratem afficitur Callicles »*ὅπερ ὁ Ζῆθος πρὸς τὸν Ἀμφίονα ὁ Εὐριπίδου* [3]) (vides, qui factum sit, ut Cicero quoque de Zetho, illo quidem »Pacuviano" cogitaret). — Ideo vehementer Socratem a nimio philosophiae studio revocat, ne vertigine captus, si forte accusetur, jam non habeat quo capitis periculum a se arceat.

Jam consequens est, ut recolamus, quae Antonius paullo ante exposuerit. Primo quidem, post infinitam doctri-

---

1) P. 484 C.
2) P. 485 A.
3) P. 485 E. sqq. — De Or. I. 81, 219, 230,

nam a Crasso commendatam verendum esse »ne abstrahamur ab hac exercitatione et consuetudine dicendi populari et forensi" — videri enim sermonem adeo excultum palaestrae magis et olei quam hujus civilis turbae ac fori. Atque data opera philosophiam impugnans: »Nobis, inquit, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus." A vulgi enim opinionibus longissime distare philosophorum sententias; quas non solum Socrati sed etiam P. Rutilio Rufo »homini docto et philosophiae dedito," exitiosas fuisse; hominem enim Romanum damnatum esse, quod in dicenda causa veterem illum Socratem esset imitatus; pro quo si Crasso non philosophorum more sed proprio licuisset dicere, certe futurum fuisse, ut absolveretur.

Quaeres, cur Cicero per personam Antonii renovaverit fere Callicleam vituperationem illius philosophiae, quam quanti faceret supra consideravimus? Nimirum, quia in illis criminationibus quaedam vidit haud inepte observata; neque ea quidem apud Platonem plane a Socrate refutata. Non probabantur Ciceroni, ut vidimus, ea philosophiae studia, quae totos implerent animos virosque a foro vitaque publica arcerent, neque illae philosophorum sententiae, quae a communi hominum opinione abhorrerent. Propositum non erat philosophorum vitam commendare, sed sapientiae studium subjicere eloquentiae.

Quorsum igitur tam multa ex Gorgia? Dicam quod sentio. Cum cerneret Cicero apud Platonem »Gorgia patrono oratorem succubuisse philosopho", [1]) sic illos sermones re-

---

1) De Or. III. 129.

petere voluit, ut appareret eloquentiam, non ob causae infirmitatem, sed propter ineptam defensionem esse devictam. Qua ratione putabat non modo antiquam illam invidiam a Platone eloquentiae illatam removere se posse; sed vehementer etiam ipsa illius dialogi recordatione commendare id, quod maxime spectabat: »Neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere unquam et praestare potuisse." Negando enim necessariam esse scientiam rerum Gorgias turpiter »succubuit": Crassus causam suam eo obtinet, quod multarum atque magnarum rerum scientiam acerrime oratori vindicat.

Jam ad Phaedri considerationem licet transire. Cujus antequam partes singulas attingamus, argumentum breviter narrare conabimur. Adeo enim libere et paene licenter excurrit oratio, ut difficile sit totam disputationem mente complecti; neque de connexione sententiarum scriptionisve proposito est una omnium sententia. — Ut igitur, quid voluerit Plato, statim teneamus, observemus in fine sermonum inter Phaedrum et Socratem convenire, ideo eos disceptasse, *ὅπως τὸ Λυσίου τ' ὄνειδος ἐξετάσαιμεν τῆς τῶν λόγων γραφῆς πέρι, καὶ αὐτοὺς τοὺς λόγους, οἳ τέχνῃ καὶ ἄνευ τέχνης γράφοιντο.*" [1]) Quaeritur ergo, quid censendum sit de studio Lysiae ceterorumque, qui *conscripserunt* orationes, et quae sit vera dicendi ars. Huc reapse omnia quae dicuntur, quamvis in diversa abire videantur, commode possunt referri.

Exorditur autem disputatio, post breve prooemium, oratione

---

1) Phaedr. P. 277 B.

quadam Lysiaca ignobili sane et frigida, quae tamen quin sit genuinum Lysiae opus propter Platonis aequitatem dubitari vix potest. Causa est »Non amanti, si ita loqui fas est, potius morem gerendum esse quam amanti." Res et verba vehementer placent Phaedro: Socrates vero ita elocutionem planam et rotundam praedicat, ut simul significet neque sententias neque dictorum ordinem et collocationem sibi satis probari. Mox Phaedri precibus quasi aegre adduci se sinit, ut ipse de eodem argumento oratiunculam proponat. Sermonem habet non sane grandem et egregium, — eandem enim sententiam defendit — sed praestantem ea virtute, quae (si formam spectamus) maxime in Lysiaca oratione desideratur: partes omnes perfecto ordine sunt dispositae. Initio igitur quasi per *σύνθεσιν*, ut ajunt philosophi, i. e. descendendo a conceptu universaliore, definitionem amoris pravi et sensibilis quaerit; dein ordine enumerat, quibus malis amor hujusmodi et animam et corpus et bona ejus, qui ametur, afficiat.

Post haec, quae in vituperationem amoris vergunt, sequitur jam Platonis *παλινῳδία* — oratio illa magnifica et grandis, qua sapientis amor celebratur, ejusque egregia commoda mirifice commendantur. Esse enim praeter amorem, de quo paullo ante, alium quemdam amorem, illum quidem non morbidam affectionem aut pravam cupiditatem, sed boni studium ac furorem divinitus immissum. Animum autem immortalem utrique cupiditati praeesse, velut aurigam, qui duos regat equos, quorum alter sit generosus et mansuetus, alter indomitus et nequam. Exitiosam igitur fore amanti consuetudinem illius, cujus prava cupido, velut equus indomitus, alterum equum et aurigam — mentem et boni honestique cupiditatem — deorsum secum trahat. Optimam vero et

utilissimam esse amicitiam illius, cujus animus ex honestatis desiderio ita constringat voluptatis cupidinem, ut cum pulchrum cernat puerum non abripiatur in libidinem; sed, visa hac pulchritudine excitetur ad recordandum pulchri et boni et veri illius, quod ante conjunctionem cum corpore contuitus sit, — aut omissis fabulosis ornamentis — ut moveatur ad investigandam excellentiam Illius Causae et Exemplaris, cujus imagines et quasi umbras in pulchris rebus cernimus. Talem enim amatorem id tantum agere, ut Socratico disserendi more et *διαλεκτικῶς* rerum scientiae studens, eum, quem amat, secum ad veri bonique investigationem perducat. Perperam ergo amorem omnem a Lysia damnari. Quamobrem Lysiam exhortatur, ut relictis suis sermonibus *ἁπλῶς πρὸς Ἔρωτα μετὰ φιλοσόφων λόγων τὸν βίον ποιῆται.* — At vereri se, ait Phaedrus, ne Lysias jam nullam amplius orationem conscribere audeat. Cui Socrates: non omne genus orationis scriptionisve improbandum esse.

Placet enim *σκέψασθαι τὸν λόγον ὅπῃ καλῶς ἔχει λέγειν τε καὶ γράφειν καὶ ὅπῃ μή.* Atque primum statuitur rhetoricam, quam vulgo profitentur magistri, artem non esse, quod veritatem rerum non quaerat. Quam qui ignoret, verisimilia quae ad persuadendum valeant, recte dignoscere et sectari non posse: ideo vituperandam esse orationem Lysiae, qui, veritatis ignarus, non ante definierit, id, de quo agebatur. Explicat dein, quibus viis et rationibus ad accuratam definitionem perveniri possit: mentis illis exercitationibus quae vocentur *διαιρέσεις* et *συναγωγαί.* Hasce autem contineri dialectica: qua orationibus Lysiacis Socratis illam antecellere; ibi enim diversas amoris partes sive species recte definiri.

Cum sint tamen multa alia, quae rhetores sua dicendi

arte contineri profiteantur, expendit jam Socrates, quae elocutionis collocationisque praecepta a Tisia Thrasymacho Prodico Protogaro sint posita. Quae quidem omnia ipsi potius ad ea, quae sunt ante artem, quam ad ipsam artem videntur pertinere: sicut medicorum ars non contineatur remediorum cognitione, sed in hoc ut teneas quando et quibus, et qua ratione medicinae sint adhibendae. Nec mirum tamen illa a rhetoribus suae arti tribui: dialecticae enim ignaros artem dicendi ne definire quidem posse.

Interrogatus dein »quo pacto et unde veram oratoris persuasorisque artem nobis vindicare possimus?" respondet Socrates, ut orator; sis ad ingenium aptum exercitationem et scientiam adjungendam. Quare haec tria postulat *φύσιν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην* — et nihil aliud. Scientiam autem illam dialectice acquirendam esse: ideo Periclem floruisse eloquentia, quod Anaxagorae discipulus dialecticae operam dedisset. Dialecticam enim non modo exquirere, quid in quaque re sit verum, sed praeterea recte definiendo et dividendo dignoscere naturam et varietatem animarum, motus et affectus singularum aetatum, quid quemque maxime movere possit; brevi *εὐκαιρίαν* et *ἀκαιρίαν* eorum omnium, quae tradant ii, qui rhetoricam profitentur. Igitur, si qua sit ars dicendi, dialectica contineri, quae persuadendi vias demonstret. Neminem tamen sapientem dialecticas inquisitiones — cum arduae sint et magni laboris — instituturum *ἕνεκα τοῦ λέγειν καὶ πράττειν πρὸς ἀνθρώπους*, sed ut possit *θεοῖς κεχαρισμένα λέγειν ἢ πράττειν*; »non enim obsequendum esse conservis, sed dominis bonis esse obtemperandum." Oratorum igitur studia disputationibus philosophorum postponenda esse.

Sequitur quaestio, cur verborum concertatio et disceptatio non ante scripto elaborata praestent omnibus scriptis libris et orationibus de scripto allatis. Conceditur posse scripta procurare dignissimum animo oblectamentum, esse etiam subsidia quaedam reminiscendi ea, quae jam didicerimus; non magni tamen ea esse pretii; tantum abesse ut memoriam augeant, ut potius eam pervertant. Libros legentibus multas quidem conferre opiniones eosque et *πολυηκόους* et *δοξοσόφους*, et propterea molestissimos efficere, sed ad veram rerum doctrinam tradendam nihil valere: cum idem omnibus, doctis indoctisque, dicant neque contra obloquentes se tueri possint.

Itaque, qui orationes aut leges aut poemata conscribant, nec possint praestantiora proferre, eos ne pudeat parum honorifico nomine *συγγραφέων* et *νομογράφων* appellari: sin veritatis conscii illa composuerint possintque sua scripta, ubi in disceptationem trahantur, ore defendere, dignos futuros, qui sapientiae studiosi sive philosophi nominentur. Auguratur Socrates Isocratem adhuc juvenem talem aliquando futurum oratorem, qui sapientiae studio excellat.

Jam quid Cicero ex illa disputatione in suum usum convertit? Occurrit statim Scaevolae illud »cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis?" quibus verbis admonemur loci discriptionem imitari scenam amoenissimam sermonis illius Platonici »Nam me haec tua platonus admonuit" — ita pergit — »quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa cujus umbram secutus et Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula quae describitur quam Platonis oratione crevisse". Revocatur Platonis *πλάτανος μάλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή*

auditoque prisco »aquulae" vocabulo recordamur Phaedri »*χαριέντα γοῦν καὶ καθαρὰ καὶ διαφανῆ τὰ ὑδάτια φαίνεται*" [1])

Nec minus apertum est, excusationes, quibus Crassus sese a dicendi munere defendit, quod adsit Scaevola, subsimiles esse tergiversationibus, quibus utatur Socrates, antequam primam suam proferat orationem. Hic enim ad Phaedrum, *Ἐγκαλυψάμενος ἐρῶ, ἵν' ὅ τι τάχιστα διαδράμω τὸν λόγον, καὶ μὴ βλέπων πρὸς σὲ ὑπ' αἰσχύνης διαπορῶμαι.* [2]) Crassus vero magis serio Scaevolam dicit esse unum hominem »quo praesente, inquit, ego ineptus esse minime vellem; quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit."

Prior autem Socratis oratio ita incipit: *Περὶ παντός, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι. εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. τοὺς δὲ πολλοὺς λέληθεν ὅτι οὐκ ἴσασι τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς οὖν εἰδότες οὐ διομολογοῦνται ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως, προελθόντες δὲ τὸ εἰκὸς ἀποδιδόασιν· οὔτε γὰρ ἑαυτοῖς οὔτ' ἀλλήλοις ὁμολογοῦσιν.* [3]) Hoc idem Tullius per Antonium, qui orationem suum exordiens: »Ego vero, inquit, pergam et id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur; ne vagari et errare cogatur oratio, si ei, qui inter se dissenserint non idem illud, quo de agitur, intelligant." [4])

---

1) P. 230 B, 229 B. — De Or. I. 8.
2) P. 237 B. — De Or. I. 112.
3) P. 237 C.
4) De Orat. I. § 209. Videtur monitum illud Platonicum magnopere Tullio placuisse: eadem scripsit et de Rep. I. 24, et »Orator § 116, — et allato auctoris nomine initio II. libri de Finibus § 3. »Omnis autem

Consequitur apud utrumque definitio illius, de quo agitur: Socrates amorem definit, Antonius vero »oratorem".

Cum autem ex iis, quae sunt de amore sensibili, — pro argumenti diversitate — non facile Tullius quicquam potuerit assumere, jam ad sermonem tertium, qui est de sapientis amore, transire licet. Qui sine dubio ejus menti praesto erat cum eloquentiae studiosis ante omnia »studium et ardorem quemdam amoris" assumendum diceret. Quid est enim illud nisi illa *ἐρωτικὴ μανία* quae ex Platonis sententia est omnis sapientiae principium? 1)

Et cum haec scriberet: »saepe audivi poetam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exsistere posse et sine quodam afflatu quasi furoris", recordabatur certe hujus loci: *ός δ᾽ ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται πεισθείς ὡς ἄρ᾽ ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.* 2) — Neque etiam haec fortuito conveniunt: *ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων* et: »acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi." Idem enim dictum alio loco Tullius diserte Platoni tribuit auctori. 3) Animadvertimus praeterea, apud utrumque

---

in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio praescribere primum debet, ut quibusdam in formulis »ea res agetur", ut, inter quos disseritur, conveniat quid sit id, de quo disseratur. Hoc *positum in Phaedro a Platone* probavit Epicurus sensitque in omni disputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit non vidit; negat enim definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id de quo agatur."

1) P. 265 B. — De Or. I. 134.

2) P. 245 A. — De Or. II. 194.

3) P. 250 D. — De Or. II. 357 cf. de Fin. II. 52.

Periclis in dicendo excellentiam Anaxagorae disputationibus tribui. [1]) Et quae proxime sequitur apud Platonem medicinam inter et eloquentiam comparatio: *ΣΩ. Ὁ αὐτός που τρόπος τέχνης ἰατρικῆς, ὅσπερ καὶ ῥητορικῆς. ΦΑΙ. Πῶς δή; ΣΩ. Ἐν ἀμφοτέραις δεῖ διελέσθαι φύσιν, σώματος μὲν ἐν τῇ ἑτέρᾳ, ψυχῆς δ' ἐν τῇ ἑτέρᾳ, εἰ μέλλεις μὴ τριβῇ μόνον καὶ ἐμπειρίᾳ, ἀλλὰ τέχνῃ, τῷ μὲν φάρμακα καὶ τροφὴν προσφέρων ὑγίειαν καὶ ῥώμην ἐμποιήσειν, τῇ δὲ λόγους τε καὶ ἐπιτηδεύσεις νομίμους πειθὼ ἣν ἂν βούλῃ καὶ ἀρετὴν παραδώσειν* [2]) — eam quoque suo modo imitatus est Tullius. »Sicut medico diligenti, inquit, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda; sic equidem cum aggredior in ancipiti causa et gravi ad animos judicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur."

Deinde quia viderat Tullius in fine Phaedri omni oratori veritatis et scientiae gnaro eique soli philosophi nomen tribui, — de quo loco supra retulimus — ideo profecto ea scripsit quae possint ceteroqui admirationem movere. »Nunc sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam junctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam; . . . . malim equidem indisertam prudentiam quam stultitiam loquacem. Sin

1) P. 270 A. — De Or. III. 138.
2) P. 270 B. — De Or. II, 186.

quaerimus quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est; quem si patiuntur eundem esse philosophum sublata controversia est." [1]) Denique sicut a Phaedri commemoratione exordiuntur hi sermones, in ea quoque finiunt; laudes enim Hortensii, ut jam supra notavimus, praedicationem Isocratis imitantur.

Sunt haec fere, in quibus Platonis liber Phaedrus et Dialogi de Oratore inter se congruunt, si formam tantum et elocutionem spectamus. Quod si sententias et doctrinam consideramus: perspicuum est id, quod apud Ciceronem caput est: »neminem eloquentia sine omni quidem sapientia florere unquam et praestare potuisse", — multo acrius in Phaedro quam in Gorgia defendi. Nam in illo quidem dialogo ii, qui eloquentiam scientiae expertem defendunt, aut arguuntur inconstantiae aut pravae perniciosaeque facultatis commendatione convincuntur; in hoc vero multis rationibus ostenditur quam necessariae sint philosophorum inquisitiones, ut omnino probabiliter loqui et persuadere quis possit. Ideo quod Cicero totiens, alias aliis verbis, pronunciat »Orationem, si res non subsit ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse esse aut omnium irrisione ludi" — id prorsus convenit cum eo, quod Plato respondendum esse demonstrat ad hanc quaestionem: *'Αρ' οὖν ὑπάρχειν δεῖ τοῖς εὖ γε καὶ καλῶς ῥηθησομένοις τὴν τοῦ λέγοντος διάνοιαν εἰδυῖαν τἀληθὲς ὧν ἂν ἐρεῖν πέρι μέλλῃ;* [2])

Et sicut Plato ostendit, artem illius, qui animorum naturas et propensiones et mores ignoret, id quod expetit consequi non posse, quandoquidem dicendi artis sit animos

---

1) De Or. III. 142. — P. 278 C. 2) P. 259 E. — De Or. I. 50.

movere — *ἐπειδὴ λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα,* [1]) sic etiam Cicero neminem disertum esse ait, »natura hominum incognita ac moribus." Id quod paullo infra latius explicat: »Quis enim nescit, inquit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis vel ab hisce eisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quae, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit". — Irridet Plato rhetores illius temporis, quod, cum nihil præter collocationis et elocutionis praecepta eorum arte contineatur, ipsam artem ne definire quidem possint: *οὐ χρὴ χαλεπαίνειν ἀλλὰ συγγγινώσκειν εἴ τινες μὴ ἐπιστάμενοι διαλέγεσθαι ἀδύνατοι ἐγένοντο ὁρίσασθαι, τί ποτ' ἔστι ῥητορική.* [2]) Quam eandem prorsus sententiam de suis aequalibus pronunciat Tullius. »Istos, inquit, me auctore deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur neque adhuc, quam personam teneant aut quid profiteantur, intelligere potuerunt." Rhetores enim istos et Plato et Cicero negant perspicere illam eloquentiae naturam, quae sit »vis, quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia sic verbis explicet, ut eos qui audiant, quocumque incubuerit, possit impellere."

Nunc brevissime de »Civitate" Platonis. Nam dubium non

---

1) P. 271 D. — De Or. I. 53.
2) P. 269 B. — De Or. III. 54, 55.

est quin Ciceroni in mente fuerit. Quid enim hac in re apertius iis quae scripsit in epistola quadam ad Atticum?"

»Quod in iis, inquit, libris, quos laudas (II et III de Oratore), personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi; sed feci idem, quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Cum in Piraeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scaevola, qui et aetate et valetudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scaevolae studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic joculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui." [1])

Jam ex hisce verbis opinari in promptu haud disparem esse utriusque operis compositionem conformationemque; id quod etiam res et veritas confirmant. Sermonis enim genere libri de Oratore, multo magis Platonis »Civitatem" imitantur quam aut Gorgiam aut Phaedrum. Non disputant profecto oratores illi Romani per breves et acutas altercationes, quales erant sermones qui cum sophistis habebantur, neque tam alte assurgunt aut incitate feruntur, ut fit in Phaedro: »disputatio ac dialogus de Oratore" leniter et libere currit, quales Socratis Cephali

1) Ad Att. IV. 16. § 3.

Trasymachi ceterorumque, qui sunt in »Civitate", sermones. Quae rerum dicendarum lex Atheniensibus illis placuit: *ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ ταύτῃ ἰτέον*, eidem Tullius paruit, — quam enim saepe a proposito divertitur? Nec dissimilibus verbis eandem enuntiavit »Accipio, inquit, quod datur et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do." [1])

Ceterum, quod per Antonium suadebat oratori Cicero: ut *sententias* et *doctrinam* illorum librorum ad aliud tempus reservaret — idem fere ipsum fecisse dixerim cum »de Oratore" scriberet. Nam sicut libris »de Re publica", qui proxime post libros de Oratore sunt conscripti, magnam partem pendent ex Platonis »Civitate", ita hic perpaucos tantum locos reperire potui, qui ex ingenti illo opere mutuati viderentur. — Quamquam, duobus locis »Civitas" expresse commemoratur: hortatur Antonius eloquentiae studiosum, ut philosophorum libros reservet sibi ad Tusculani requiem, »ne si quando, inquit, ei dicendum erit de justitia et fide, mutuetur a Platone; qui cum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo illa, quae dicenda de justitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant;" — itemque paullo infra de damnatione agens P. Rutilii: »Nunc talis vir amissus est, inquit, dum causa ita dicitur, ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur." [2])

Sed vix habeo, quos praeterea afferam locos, ut ajunt, *παραλλήλους*. Occurrit subsimilis, quae est apud utrumque disserendi artis descriptio. Cum scripsit Cicero: »Ubi enim

---

1) Civ. P. 394 D. — De Or. II. 187. cf. Or. 75.
2) De Or. I. 224, 230.

perspecta vis est rationis ejus, qua causa rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur;" idem puto dialecticae tribuere voluit, quod Plato selectis juvenibus, qui ceteris jam artibus imbuti essent, commendabat: ..... τάτε χύδην μαθήματα παισὶν ἐν τῇ παιδείᾳ γενόμενα, τούτοις συνακτέον εἰς σύνοψιν οἰκειότητος ἀλλήλων τῶν μαθημάτων καὶ τῆς τοῦ ὄντος φύσεως. Quod quidem dialecticae ope fieri voluit; addit enim, ὁ μὲν γὰρ συνοπτικὸς διαλεκτικὸς, ὁ δὲ μὴ οὔ. [1])

A vituperationibus autem philosophiae, quas apud Ciceronem profert Antonius — sicut et in Gorgia Callicles, — minime ea abhorrent, quae in »Civitate" Adimantus obloquitur Socrati philosophis imperium concedenti: neminem videlicet ignorare, ὅσοι ἂν ἐπὶ φιλοσοφίαν ὁρμήσαντες μὴ τοῦ πεπαιδεῦσθαι ἕνεκα ἀψάμενοι, νέοι ὄντες ἀπαλλάττωνται, ἀλλὰ μακρότερον ἐνδιατρίψωσι, τοὺς μὲν πλείστους καὶ πάνυ ἀλλοκότους γιγνομένους, ἵνα μὴ παμπονήρους εἴπωμεν, τοὺς δ' ἐπιεικεστάτους δοκοῦντας, ὅμως τοῦτό γε ὑπὸ ἐπιτηδεύματος, οὗ σὺ ἐπαινεῖς, πάσχοντας, ἀχρήστους ταῖς πόλεσι γιγνομένους. [2])

Quod si suspicari licet Ciceronem de certo quodam sophista cogitasse, cum per Antonium fastum et arrogantiam graeculorum jocosissime carperet, profecto Thrasymachi ineptias notare voluisse putandus est. Nam quae Antonius: »Audite vero, inquit, audite. Hominem enim audietis de schola atque a magistro et Graecis litteris eruditum ... docebo vos discipuli, id quod ipse non didici: quid de omni genere dicendi

1) Civ. P. 537 C. — De Or. III. 21.
2) P. 487 D.

sentiam" — mihi quidem semper in memoriam reducunt illum ineptissimum: *ὁ Θρασύμαχος φανερὸς μὲν ἦν ἐπιθυμῶν εἰπεῖν, ἵν' εὐδοκιμήσειεν ἡγούμενος ἔχειν ἀπόκρισιν παγκάλην*, — quippe qui dicere incipiens: *Ἄκουε δή, ἦ δ' ὅς. φημὶ γὰρ ἐγὼ κ. τ. ἑ.* 1)

Postremo unam proferam similitudinem, quam haud fortuito casu irrepsisse quovis pignore contenderim. »Tua fuit oratio ejusmodi, inquit apud Ciceronem Scaevola, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac »*ministratrices*" oratoris esse diceres." Admiramur omnes vocem insolitam; nemo delet, quae non librorum fide sed Nonii testimonio sit comprobata. Cur ea usus est Cicero? Nimirum, quia in mente erat Plato, non eloquentiam sed dialecticam mirifice exornans, tamquam quae esset — *συνερίθοις καὶ συμπεριαγωγοῖς χρωμένη, αἷς διήλθομεν τέχναις*. Apud Ciceronem enim »docto oratori" palma conceditur; apud Platonem vero uni dialecticae omnia summa tribuuntur.

Ἆρ' οὖν δοκεῖ σοι, ἔφην ἐγώ, ὥσπερ ΘΡΙΓΚΟΣ τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι, καὶ οὐκέτ' ἄλλο τούτου μάθημα ἀνωτέρω ὀρθῶς ἂν ἐπιτίθεσθαι, ἀλλ ἔχειν ἤδη ΤΕΛΟΣ τὰ τῶν μαθημάτων; Ἔμοιγ' ἔφη. 2)

Atque hinc facilis est transitus ad illum locum, quo investigationem hanc de imitatione Tullii omnemque disputationem nostram absolvamus. Superest enim ut observemus,

---

1) P. 338 A, B. — De Or. II. 28.
2) P. 533 D, 534 E.

quibus in rebus et quo jure a magistri doctrina recesserit Tullius. Atqui sententiae, quas modo contulimus, id quo maxime differant haud obscure significant. Plato dialecticae omnis sapientiae atque scientiae principatum concedit. Quid est igitur quod Cicero, e tribus philosophiae partibus, non eam tantum quae est »de naturae obscuritate" sed »disserendi" etiam, »subtilitatem" facile largiatur inertiae nostrae? Fieri qui potest, ut qui tantopere commendet sapientiam, ex omni sapientia tam facile illam partem negligi patiatur, quae — ut ipse in Tusculanis — »per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat, disserendi ratio et scientia?"

Saepius, fateor, mirabar dialecticam non acrius in oratoriis hisce libris oratori vindicari; idque eo magis, quod in libro qui inscribitur »Orator" Cicero eam quasi potissimo loco in eloquentis suppellectili ponat. »Esse, inquit, perfecte eloquentis puto non eam solam facultatem habere, quae sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus atque finitimam dialecticorum scientiam assumere."

Attamen neque a seipso dissidet, nec temere aut inconsulto ab eo dissentit, cum quo errare mavult (ut ait in Tusculanis) [1]) quam cum minutis philosophis vera sentire.

Vide quid rei sit. Fuit sane Platoni gravissima causa, cur maxime extolleret illam philosophiae partem, cujus ipse quasi primus auctor exstititerit. Postquam enim prisci philosophi in sola obscuritate naturae versati sunt, Socrates autem de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerendo phi-

---

1) I. 17. cf. ibid. V. 72 et Or. 113.

losophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit, a Platone, ita Tullius, »primum accepta est philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo et, quid verum, quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens quid repugnans, judicando." [1]) Nam etsi, Laertio auctore [2]) Zeno et Parmenides dialecticae artis inventores ferebantur, — quippe qui primi per interrogationes atque responsiones colloquentium more docere instituissent; neque quisquam nisi iisdem viis ac rationibus aut cum suo animo aut cum aliis disserere et disputare potest: nemo tamen ante Platonem de hac parte accuratius disputavit. Immo, in ipso hoc Phaedro dialogo prima ejus artis initia habemus; si tamen verum est, quod, praeeunte Olympiodoro, [3]) viri docti plerique censent, Phaedrum dialogum ante reliquos omnes libros a Platone conscriptum esse. Profecto erant ea tempora, quae Platoni vehementer suaderent, ut de disserendi ratione diligenter inquireret. Sophistae enim de veritate honestateque securi, suam quisque opinionem, accurata et facta quoddammodo oratione defendebant; verbis ambiguis fallaciisque causam inferiorem (quam vocabant) dicendo superiorem se reddere gloriabantur.

Quibus sese jam opposuerat Socrates, subtilitate disputandi eorum instituta refellens. Plato autem praeterea, suum imitatus magistrum, ipsam viam rationemque qua eos refutabat ille eorumque argutias dissolvebat, accurate coepit exponere. Haec initia dialecticae; hae *διαιρέσεις* et *συναγωγαι*, quae in Phaedro

---

1) Tusc. V 10. — Cfr. Ac. post. I 15, 19.
2) l. III. 48.
3) Schol, in Phaedrum initio (p. 698.)

describuntur. Duobus enim modis, iisque arctissime inter se conjunctis, a confusis et obscuris notionibus ad claras et distinctas ideas docet perveniri. »Divisione" enim, sive addendo notam propriam ad notionem communem, distinguendas esse partes sive species varias, quae communi generis nomine confuse continerentur — velut in Phaedro ab honesto amore distinxit pravum; »collectione" autem sive *διὰ συναγωγήν* adaequatam rerum definitionem quaerit. Quam rationem, cujus in Phaedro declaratio paullo fortasse obscurior videatur, ita planissime in Topicis explicat Tullius: »Cum sumpseris, ait, ea, quae sint ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequeris, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit." Id quod clarissimo ibidem exemplo illustrat: Hereditas inquit est *pecunia*: commune adhuc, multa enim genera pecuniae. Adde quod sequitur: *quae morte alicujus ad quempiam pervenit.* Nondum est definitio: multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum, *jure:* jam a communitate disjuncta res videbitur, ut sit explicata definitio haec: »*Hereditas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure.*"

E quibus definiendi viis, prior Platoni quasi unica videbatur, qua ad certam scientiam perveniretur; posteriorem autem, qua ex consideratione plurium rerum, quibus idem »praedicatum" tribuitur, notionem quaerimus communem, aliquando quidem, magistrum imitatus, in dialogis usurpavit, non tamen aptam duxit nisi ad pariendas opiniones probabiles. Idque ideo, quod rebus, quas sensibus apprehendimus, excitari putabat memoriam idearum, quae essent menti insitae et quasi innatae — de ipsis vero rebus nullam certam esse

scientiam. »Ideas solas, ita Tullius, et gigni negat Plato et ait semper esse ac ratione et intelligentia contineri; cetera nasci, occidere, fluere, labi nec diutius esse uno et eodem statu." [1]) Haec autem dialecticae initia a Platone posita Aristoteles ita auxit atque excoluit, ut omnis cognitionis doctrinam in perfectae artis formam redigeret. Is enim, quo nemo forte unquam fuit ingenio praestantior, Platonis doctrinam de definitione divisioneque complevit, demonstrationis formas et figuras multiplices explicavit, veri falsique dijudicandi vias indicavit; ad tantam denique perfectionem hanc artem evexit, ut illius praeceptis vix quicquam posteri addere potuerint.

Jam nullus dubito, quin Tullius si Aristotelem audivisset, paulove post eum floruisset tertiam illam philosophiae partem oratori suo acerrime vindicaturus fuerit. Verum cum res praeclare se haberet, nihilque esset, quod Zeno commutare gestiret, ut ait Tullius, [2]) omnes quae ab Aristotele ortae sunt scholae in hac arte habitarunt. Non enim ab Aristotele sed a Diogene Stoico disserendi artem didicerunt Romani homines. Nam Stoici multo magis quam aut Academici aut Peripatetici disserendi artem colebant. At qua prudentia? Ciceronem iterum audiamus. »Cum omnis ratio diligens disserendi, inquit, duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt: judicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia, quam *διαλεκτικήν* appellant, inveniendi artem, quae *τοπική* dicitur, quae et ad

1) Or. 10.
2) De Fin. l. IV. 8.

usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt." [1]) Sed in dialectica spinosiora omnia sectabantur: relictis rationibus, quae simpliciter dicuntur, quas magna arte exposuerat Aristoteles, illas potius, quae conjuncte efferuntur, vehementer in deliciis habebant. Atque hoc reprehendit Cicero: »Ad extremum, inquit, ipsi se compungunt suis acuminibus et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorta et potius detexta prope retexantur." [2])

Statuendum igitur, si quid video, Ciceronem, ubi disserendi subtilitatem largiatur inertiae nostrae, Stoicorum spinas potissimum spectasse illamque disserendi artis partem, quae, cum judicandi vias persequatur, διαλεκτική appelletur; ubi vero sive in Tusculanis, sive in libro qui inscribitur »Orator" — et si qui sunt alii loci similes — disserendi artem laudat, illam commendare, quam »et ad usum potiorem et ordine naturae certe priorem" aestimat, τοπικήν seu inveniendi disciplinam.

Certum est enim hanc inveniendorum argumentorum disciplinam ab Aristotele inventam — non uno alterove aetatis anno, sed per omne vitae tempus Ciceroni magnopere placuisse. Jam in libris »de Inventione" multum de illa disputat; in Partitionibus Oratoriis et in his ipsis de Oratore libris totam illam doctrinam accurate complectitur; in »Oratore" prudentissime de locorum usu disserit: denique in Topicis suis ad Trebatium ea collegit, quae in VII topicorum libris Stagiritae oratori forensi magis prodesse viderentur.

---

1) Top. § 6, — 2) De Or. II 158.

Quid? quod locorum etiam utilitatem — quam hac aetate non pauci viri docti ullam esse negant — ita perspicue exposuit, ut nemo melius »His igitur locis, inquit, in mente et cogitatione defixis et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil est quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi." Quae quam vere dicantur ipse, ni fallor, rei usus docet. Quam enim juvat, cum de aliqua causa aut nobiscum quaerere aut coram aliis disputare volumus, certas quasdam rationes in promptu habere, ex quibus quasi fontibus argumenta depromere possimus. Totum enim aut partes aut genus aut species, aut contraria aut consequentia etc. — hi enim a Tullio dicuntur loci — dummodo paululum considerentur magnum argumentorum copiam praebere solent. Quae disciplina, cum sit memoriae mentisque adminiculum, hoc Aristotele sapientius Tullius, quod non magna sententiarum farragine mentem onerari jubet; sufficere enim paucas quasdam rationes, unde probationes sumantur. Quare etiam ipsum locorum nomen, quo Aristoteles sententias illas generales appellat, Tullius potius ipsis rationibus tribuit e quibus illae ducuntur: ut exemplo rem illustrem, Cicero in locorum numero habet, »speciem", »genus"; Aristoteles contra, »quod convenit speciei, non ideo, generaliter convenit generi."

Altera autem, quae afferri potest ratio, cur priorem illam dialecticae partem minoris aestimet Cicero, majus etiam inter utriusque sententiam discrimen declarat. Videbat scilicet varias philosophorum scholas etiam post Platonem et Aristotelem in doctrina de divinis humanisque rebus, de origine rerum, de natura hujus universitatis, de bonorum finibus, de vita ac

moribus diversissimas sententias docuisse. Ideo in eorum castra se contulit, — id quod in Academicis disputationibus saepius significat — quos cum ipso de certa rerum cognitione acquirenda videbat desperare: Academicos dico, qui regulas de vero falsoque judicandi parvi pendebant, satiusque ducebant inter varias sententias iis tanquam verisimilibus assentiri, quae vulgari prudentiae magis probarentur.

Atque hinc demum apparet Plato et Cicero quamvis uterque »sapientiam omnem" perfecto oratori vindicent quam longo tamen intervallo inter se distent. Platonis opinione sapientia est nulla, nisi quam dialectica seu philosophica disquisitione acceperimus, nulla cognitio alicujus est pretii, nisi sit certissima: quae ex sermone aliorum auribus percepimus aut in libris legimus ad certam cognitionem perducere non possunt. Sapientia vero illa, quam commendat Cicero, in multarum atque magnarum rerum scientia continetur, si minus certa at saltem probabili. Qui rectissime quidem statuit, cum videret nullum ingenium satis pollere ad comparandam per se ipsum omnium rerum scientiam, nec humanum vitam ad id sufficere, etiam audiendo sapientium sermones, librosque legendo multarum rerum notitiam acquiri posse. Quam multa enim etiam ex communi opinione accipere licet; quam non raro etiam hisce viis ad certam cognitionem ducimur! Saepe enim perspicuum est, tantam esse in auctoribus doctrinae copiam tantumque veritatis studium, ut eorum dicta a vero recedere non possint; multis quoque in rebus facilius est auditis aliorum rationibus dijudicare, utrum recta sit conclusio necne, quam per se ipsum disserendo de iisdem rebus quidquam statuere. Hoc igitur Platone sapientius oratori vindicat eadem studia, quae commendat Aristoteles.

Quae cum ita sint, si jam nunc, quasi confecto itinere. viam quam emensi sumus paulisper respicimus, negari non posse videtur Ciceronem magna cum prudentia suis auctoribus esse usum. Quamquam Platonem omnium philosophorum principem existimabat, minime tamen in ejus verba magistri juravit aut quasi ad litteram, ut multi calumniantur, ejus dicta transcripsit. Platonis et monitis adductus et auctoritate usus scientiam rerum commendavit; ita tamen ut doctrinas illas omnes amplecteretur, quas in eodem argumento commendabat Aristoteles. Neque sapientiam voluit neque dicendi artem omnem in una contineri dialectica, sed Isocratis vestigiis insistens collocationem elocutionem actionem et aequales et posteros exemplo praeceptisque docuit. Opus conscripsit ita comparatum, ut legentes omnes ad multarum rerum studia vehementer stimularet; in quo simul tamen ipsam dicendi artem tam egregie explicavit, ut quotquot postea de eloquentia scripserint viri humanissimi toti ab hisce de Oratore libris pendeant.

Hoc unum dolemus, quod minus de veritate sollicitus cum philosophorum inventa tum ceteras doctrinas, quae volebat percognita, eo potius dirigebat, ut posset disputare in utramque partem, quam ut, quid verum esset in quaque re aut ipse disceret aut alios edoceret. Quod si penitius sapientiam Aristotelis esset perscrutatus et veram illam judicandi artem a Platone inchoatam, ab Aristotele perfectam atque completam, et justo sui pretio aestimasset, et frequentius ac diligentius usurpasset; quot qualesque evitasset errores; quanto etiam excellentior orator dicendique magister exstitisset. Verum illud vitium non tam ipsi Ciceroni, ut initio diximus, quam illorum temporum perversitati est

tribuendum. Feliciore igitur aevo cum nati simus et uberiore veritatis lumine collustrati, aequum non est nos acrius vituperare errores illius, a quo tam multa egregia accepimus. Antiquorum scriptorum gemmis, Ciceronem imitantes, et mentes nostras exornare et liberos ceterosque, quorum vera gloria nobis et dignitas cara est, ditare studeamus. Inter omnia autem studia liberalia »flexanimam atque omnium reginam rerum" summo loco habeamus. Nam etsi eloquentia nullo non tempore aut artium principatu aut tam praeclaro nomine fuerit digna, dummodo probitati juncta esset magnaeque prudentiae, tanto plus hac aetate valet ad docendos homines bene vivere et beatam parare mortem, quanto major doctrinae copia non humanarum solum, sed divinarum quoque et coelestium rerum jam praesto est mortalibus. Pauca enim sunt ea, quae ex »omni sapientia" Cicero ejusque aequales potuerunt attingere, si conferuntur cum ditissimis illis sapientiae thesauris, ad quos et humana industria et Divina maxime oracula posteriorum aetatum hominibus jam aditum paraverunt.

THESES.

I.

Ratio et causa totius disputationis »de Oratore" indicatur l. II. § 5.

II.

Eo consilio disputationem, quae est in Gorgia Platonis, Cicero hisce libris repetivit, ut ostenderet non ob causae infirmitatem, sed propter ineptam defensionem »oratorem succubuisse philosopho".

III.

De Or. II. § 333:

Neque sane jam causa videtur esse, cur secernamus ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt [aut de laudationibus.]

Verba uncinis inclusa deleantur.

8

IV.

De Or. III. § 200 sq. Rejectis Friedrichii et Stanglii sententiis lectio Orellio probata hoc loco retinenda est.

V.

Hor. Sat. I, 3 vv. 25 sq. — sic legendi sunt (cum libris quibusdam):

Cum tua *prae*videas oculis *male* lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum.

Haec enim verborum vis: Cum non melius cernas tua vitia, quam neglecta oculorum inunctione lippus, cur etc.

VI.

VII. Tacit. Ann. XII. C. 63:

... quaererent sedem caecorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti *praevisa* locorum utilitate pejora legissent.

Nihil corruptum est.

VII.

Ex commentario lapideo nuper Romae effosso jure colligitur deos, qui in Horatii Carmine Seculari invocantur a versu 37—52, esse Capitolinos; ideoque post versum 36 carmen incidendum esse.

VIII.

Versus 45—53 ejusdem carminis sic legantur:

Di, probos mores doci*li* juventae
Di, senectu*ti* placidae quietem
Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne.
*Qui*que vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis
Impe*ret*, bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.

IX.

Tac. Ann. III. c. 14:

»Senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse * * * scripsi*ssent* expostulantes.

Collato II. c. 78 probabilis explendae lacunae ratio est:

... interisse, *quae Piso ad principem* scripsiss*et*, expostulantes.

X.

Xenephon Hell. I. c. 7. n° 8.:

Μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατουρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς.

Lege: *φράτορες.*

XI.

Isocrat. in oratione ad Nicoclem c. 7. § 20:

Τίμα ταῖς μὲν ἀρχαῖς τῶν φίλων τοὺς οἰκειοτάτους, ταῖς δ' ἀληθείαις αὐταῖς τοὺς εὐνουστάτους.

Lege: *ταῖς δ' ἀτελείαις αὐτῶν τοὺς εὐνουστάτους.*

XII.

Lysiae Epitaph. § 21 (ed. Cobet.):

Ἡγησάμενοι δέ, εἰ τήνδε τὴν πόλιν ἢ ἑκοῦσαν φίλην ποιήσαιντο ἢ ἄκουσαν καταστρέψαιντο, ῥᾳδίως τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἄρξειν, ἀπέβησαν εἰς Μαραθῶνα, νομίσαντες οὕτως ἂν ἐρημοτάτους εἶναι ξυμμάχων τοὺς Ἕλληνας, εἰ ἔτι στασιαζούσης τῆς Ἕλλαδος ......

Lege: *τοὺς Ἀθηναίους.*

XIII.

Ibidem § 22: *προθύμως γὰρ τοῖς ἀδικουμένοις ἥξουσι βοηθήσοντες.*

Magis concinna erit oratio si legitur: *ἥξειν βοηθήσοντες.* Nam eadem ratione postea dicitur: *οὐδένας ἄλλους τολμήσειν.*

XIV.

Ibidem § 23:

οἱ δ' ἡμέτεροι πρόγονοι οὐ λογισμῷ εἰδότες τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ κινδύνους·

Lege: *οὐ λογισμῷ εἰκάζοντες.*

XV.

Ibidem § 26:

εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων [παρὰ τοὺς ὅρους τῆς χώρας]

Dele verba uncinis inclusa.

XVI.

Ibidem § 60:

ὡς ξυγκαταθαπτομένης τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας τῇ τούτων ἀρετῇ.

Lege: *τῆς αὑτῶν.*

XVII.

Eur. Alcestid. 540 (ed. Nauck):

λυπουμένοις ὀχληρὸς, εἰ μόλοι, ξένος.

Lege: *λυπουμένοις ὀχληρὸν, εἰ μόλοι ξένος.*

XVIII.

Thuc. III. c. 12: *Εἰ γὰρ δυνατοὶ ἦμεν ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλεῦσαι, καὶ ἀντιμελλῆσαί τι ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου [ἐπ' ἐκείνοις εἶναι]· ἐπ' ἐκείνοις δὲ ὄντος ἀεὶ τοῦ ἐπιχειρεῖν καὶ ἐφ' ἡμῖν εἶναι δεῖ τὸ προαμύνασθαι.*

Dele verba uncinis inclusa, ceteris servatis. — Pro *καὶ* praestat legere *κἂν*

XIX.

Vera humanitas, quam educatio liberalis consectatur, eo tendit, ut excolantur eae facultates, quibus maxime feris praestamus: ratio et oratio.

XX.

Inter varias disciplinas, quibus ad veram humanitatem juventus fingitur, litteris et Graecis et Latinis etiam nostra aetate primus deferendus est locus.

XXI.

Ratio cur litterae classicae prae ceteris ad juvenum animos informandos valeant, non in sola antiquorum scriptorum praestantia sed etiam in proprietatibus et naturis illarum linguarum videtur reponenda.

XXII.

Qui ad humanitatem juvenes instituunt, eum in litteris persequantur finem, ut non tam multarum rerum scientia quam pulchritudinis sensu atque bene judicandi dicendique artibus eorum animos exornent.

XXXIII.

Quare litteris classicis ita imbuendi sunt adolescentes, ut neque historiae veteri neque antiquitatibus neque proprietatibus linguarum pernoscendis tantum tribuatur diligentiae, quantum optimorum scriptorum operibus rite intellegendis recteque aestimandis.

XXIV.

Ex variis disciplinis, quibus philologia hodierna continetur, in scholis vix plura tradenda sunt quam quae ad scriptorum intellegentiam pertineant.

XXV.

Optandum igitur est, ut in superioribus gymnasiorum classibus eloquentiae praecepta tradantur; et in scriptorum explanatione rhetorica magis spectentur et aesthetica quam grammatica aut etymologica.